





PICCOLOMINEI Calendarium
1
6
630









DE NOVA
ECCLESIASTICI CALENDARII,
Pro legitimo Paschalis celebrationis tempore, restituendi forma, Libellulus,

ALEXANDRI PICOLOMINEI,
Archiepiscopi Patrensis, & in Archiepiscopatu Senensi Coadiutoris;

AD SERENISSIMVM. D.
D. FRANCISCVM MEDICEM,
Hetruriæ Magnum Ducem Secundum.



Senis, apud Lucam Bonettum. 1578.

SERENISSIMO D. D. FRANCISCO MEDICI, HETRVRIAE MAGNO DVCI SECVNDO;

Alexander Picolomineus, Archiepiſcopus Patrenſis, in Archiepiſcopatu Senenſi Coadiutor, Fœlicitatem D.



Ereniſſimæ tuæ celſitudinis ad me literæ, quibus imperabas, vt Compendium reſtitutionis Eccleſiaſtici Calendarij, à Summo Pontifice Gregorio. XIII. ad te miſſum, à peritis eius generis diſciplinæ, ditionis tuæ viris diſcutiendum; legerem, atq; perpenderem; & quod de ipſo iudiciũ facerẽ, quidq; ſentirem, in medium afferrem; me non leuiter ægrotantem, ac in lecto cubantem x. cal: Februarias 1577 inuenerunt. Profecto ægritudinem ipſam, & ſua ipſius gratia, et ob alias etiam cauſas, permoleſte quidem ferebam: verum longe tunc moleſtiorem ob id potiſſimum ſenſi, quod neceſſario viderem illam impedimento mihi fore, quominus, cõfeſtim (vt par erat) tua iuſſa facerem. Ad illud (confeſtim) nihil proximius erat ipſo (quã primum). quã primum igitur, per aliquod ægritudinis leuamen licuiſſet, obtemperandum duxi, decreuiq;. Tanta autẽ in me tuis ſemper mandatis obſequendi, voluntas fuit, vt integram ad id corporis ſalutem non expectandam, ſed ipsũmet initium conualeſcendi ſatis mihi futurum exiſtimauerim. Itaq; præfatum compendium legi, ac cum primum melius de hinc me habere ſenſi, diligenti examine perpendi; ac magno ingenio, & doctrina refertũ iudicaui, nec non ante alia omnia, quæ de hoc negocio ſcripta viderim, collocandum cenſui. Quædam tamẽ

dubiola mihi, non penitus de mente eruta, adhuc in animo remanserunt: quæ tanquã non magni forte ponderis, facile præteriri, atq; silentio obuolui poterant. Volui tamen ea, quæ mihi in mentem venerũt, quã breuius potui in mediũ (vt iußisti) afferre; tum nè silentium ipsum, tædij, ac laboris vitãdi desiderio ascriberetur; tum maxime, quod, cum præfatæ literæ significare mihi viderẽtur, pergratum tibi fore, si calamo aliquid circa præfatum Compendium exararem, voluntati tuæ noluerim nõ morẽ gerere. Nec me omnino scriptorum meorum mergendorũ periculum permouit, quo suorum permoueri aliqui fortasse possent, in eadem naui existentes. Nam quoniam eorum scripta Romam tandẽ mittenda sunt, ibiq; illorum ipsorum iudicio subijcienda, qui de eadem re scripserunt; vereri possent, nè cum actores ipsi Iudicum munere functuri, sententiam de re sua prolaturi sint; damnatio certa, & cõdemnaturorũ mente iam iam concepta, consequatur. præsertim cum Romæ aßidue cõmorantes, Magnatum auribus opiniones suas inculcantes, atq; horis omnibus vrgentes, persuadere potuerint. Hoc metu (vt dixi) atq; molestia liber omnino sum; tum quia illorum eruditionẽ qui accurate causam hanc Romæ, tractarunt, siue tractant, cum sũma animorum integritate cõiunctam esse arbitror; Magnatum vero mentes, veritatem ipsam, vbi vbi reperiatur, colere, ac fouere: tum etiã quia, nec ita vehemens meorum scriptorũ, operumq; sum amator, nec tantum illis tribuo, vt inter tot doctorum virorum opiniones, meam præsumam, locum fore, saltem medium, ne dum præcipuum, adepturam, atq; habiturã. nec huiusmodi allectus spe, hãc modo scribendi prouinciam suscepi, sed alterius præstantioris finis gratia; quẽ me assequutum fuisse proculdubio certus sum; me scilicet mandatis tuis obtemperasse: quod solum hac in re ante oculos ipsos mihi proposueram, nihilq; aliud. Quamuis .n. nõ me lateat huiusmodi mathematicarum literarũ genus, intellectu vigenti, virentiq;, atq; etiam aßiduo, & cõtinuo recenti vsu exercitato, ac cũctis

alijs

alijs cogitationibus, & occupationibus vacuo, indigere: meũ ipsum vero agnoscam e contra, graui annorum numero, varijsq; ægritudinibus penè cõfectum, elanguescentem, ac (vt ita dicam) senescentem (intellectui.n. & senectus, & morbi ipsi, non modicũ, dum corpori caduco iungitur, detrimentum afferre valent); nec non à vigintiquinque, & amplus ab hinc annis, à mathematicis disciplinis alienum, ac dissuetũ, & (quod plurimi refert) aßiduis negocijs impeditum; nihilominus habendam mihi potius esse rationem iussorũ tuorum duxi; quã cuius vis periculi, aliqualis inscitiæ, aut imperitiæ notam subeundi. Rem ipsam igitur iam aggrediar.



SAtis manifestũ esse arbitror (Sereniβime Magne Dux) inter omnes, quotcunq; fuerint, causas, quæ hucusq; suaserint, aut nunc suadeant impellantq; christianos homines ad, vel inuestigandam, vel optandam idoneam aliquã Calendarij Ecclesiastici restitutionem; illam primariam, & esse, & fuisse, vt sanctum Dominicæ Resurrectionis Pascha, rite, ac legitime celebrari poßit; ita videlicet, vt iuxta diuinũ mandatũ, id fiat a quartadecima exclusa vsq; ad vigesimamprimã inclusam lunam primi mensis, seu (quod idem est) primæ lunationis. quæ dicitur illa, cuius quartus decimus dies, aut in ipso verni Aequinotij contingit die, aut proximus illud sequitur. primus.n. mensis est, cuius lunatio talis est, vt eius initium sit æquinoctio verno proximus, aliarum lunationũ initijs; ita tamen, vt decimus quartus eius lunationis dies, vel in æquinoctiũ incidat, vel proxime illud sequatur. nõ.n. licet pascha ante æquinoctiũ celebrare. Nam vt asserit in sua Paulina Episcopus Forosemproniensis, cõmunisq; ferè est omnium opinio, pascha ipsum, ac quintus decimus primæ lunationis dies celebrari nequit, donec Sol pertranseat vernũ æquinoctium; atq; ob id & Luna Au

tūnale, quippe quā soli tunc opponi necesse est. Quoniā autem (vt id quod diximus facile cōsequamur) perutile est ante omnia, aut potius necessariū, vt æquinoctiū ipsum sedē perpetuo stabilem obtineat in calendario, ac ipsa etiā nouilunia, loca ibidem habeant determinata; idcirco, cum æquinoctiū à solis motu pēdeat, ac ortū habeat, nouilunia vero etiā à motu Lunæ; erit ob id huius negocij pertractationi, ac speculationi, necessaria cognitio cœlestiū horū vtrorumq; motuū. Iulius Cæsar in constitutione sui calendarij, supponens (vt asserit Macrobius) annuū solis motum 365. diebus, & 6. horis integris contineri; cum recte animaduerteret sex illas horas, quæ simul iunctæ quarto quoq; anno plenuū diem efficiunt, esse ob id in causa, vt quarto etiā quoq; anno, æquinoctium per diem vnū vlterius procedat in calēdario; propterea, vt huiusmodi progressum cohiberet, cōstituit, atq; ordinauit, vt quarto cuiq; anno, dies vnus adderetur, dum bis videlicet dies sextus ante calēdas Martias ageretur, atq; ob id bisextilis ille annus appellaretur. Id autem fecit, vt dum bisextiliū huiusmodi annorū auxilio, æquinoctiū cohibetur ac sistitur, nè ob sex illas horas, quarto quoq; anno simul iunctas, spatio vnius diei vlterius progrediatur; stabile ob id in eadem sede perpetuo permaneret. Unde audacter inferri potest, quā futilis, ac risu digna existimari debeat illorū opinio, qui annos bisextiles infaustos, infælicesq; predicare audent: cum bisextum ipsum naturale aliquid non sit, nec ab ipsa natura inuentum, sed potius humanū opus, ad diei intercalationem repertum, ob causam superius allatā. Quod autē ad Lunæ motum pertinet, supponens itidem Cæsar Lunam cum Sole coniunctam, completo cyclo decēnouali. 19. videlicet annorum; hoc est post quēlibet decimūnonū annū, ad eandē eiusdē diei horā denuo reuerti. 19. numeros ab vnitate sumptos, et illos aureos, in suo calendario collocauit, qui 19. annorū nouilunia sui tēporis, demōstrarent: pro cōperto habens eosdem, post quoslibet 19 annos per circulū repetitos, nouilunia etiā perpetuo ostēsuros: atq; ob

ob id stabiles sedes, tum horum numerorũ, tum nouiluniorũ ab ipsis ostensorum, in calendario futuras. Eodẽ pariter modo antiqui illi Patres in Nicæna synodo, supponentes etiã & ipsi eandẽ æquinoctij, auxilio annorũ bisextilium firmitudinem; cũ inuenissent vernum æquinoctium ea tempestate circa vigesimũ primum & vigesimum secundũ dies Martij collocatũ; ibi tanquã stabile semper futurũ existimarunt. Quare in Canone, quẽ ad inueniendũ singulis annis sanctum Pascha, ediderunt, loco æquinoctij, vigesimũ primũ Martij diem posuerunt, seu nominarũt; quippe qui idem arbitrati sunt vtroq; nomine indicari. Quare termini paschales, quos Computistæ in Calendario collocare solent, vt in dominicis diebus proxime sequentibus indicent nobis pascha, initiũ sumunt a vigesimo primo die Martij. neque aliud sunt hi termini, nisi quartædecimæ lunæ primæ lunationis. scimus enim ex paschatis canone præfatæ Synodi, quo vtitur Ecclesia, dominicũ diem, qui post lunã quartãdecimã primi mensis proxime sequitur, afferre nobis pascha. Quamobrẽ cũ in vsu præfati Canonis, Ecclesia supponat (vt illa synodus supposuit) æquinoctium in vigesimo primo die Martij collocatum, aureos vero numeros in nouiluniorum locis positos; nos autẽ nõ lateat quintãdecimã primæ lunationis lunã, ante æquinoctiũ locum habere nõ posse; propterea huiusmodi quartadecima luna ante vigesimũ primũ Martij diem, locum habere nequit; atq; ob id in eo die figi debet primus terminus paschalis, prima videlicet inter quartas decimas lunas primi mensis. vltimus autem seu extremus terminus diem decimum octauũ Aprilis obtinet. qui si tunc dominicus dies esse contingat, in proxima sequenti dominica, pascha nobis indicabit, nempe in vigesimo quinto Aprilis die, quẽ huiusmodi festum, iuxta præfatæ Synodi canonem, quo vtimur, pertransire nõ potest, vt melius ex sequentibus innotescet. Pro eodem igitur illius Concilij Patres, æquinoctium vernum, & vigesimũ primũ Martij diem acceperunt, ac nũquã abinuicem seiungi posse, supponere visi sunt.

De Luna autem itidem supponentes, ipsam post 19. annos soli iunctam ad eandem eiusdem diei reuerti horã, aureos ipsos numeros, etiam & ipsi in suo calẽdario, nouilunijs illorũ temporum quadrantes, & respondentes collocarunt, tãquã in calendario stabiles habituros sedes, nouilunia etiã perpetuo indicaturos. Quapropter in præfato canone, loco nouiluniorum, aureos ipsorum numeros acceperunt; quippe qui idem referri vtroq; vocabulo censuerunt. siquidẽ cyclus decennoualis, siue aureus ipse numerus, quo post Nicænũ cõcilium ad intimãdum pascha, vsa est Ecclesia, & adhuc vtitur; insertus fuit in Romano Calẽdario à Dionysio Abbate, post plures annos transactos post illã synodum. qui illũ extraxit ex Cyclo Alexandrino, quẽ Eusebius Cæsariensis, vna cum peritis Alexandrinis confecit. nam teste Forosempronienſi Episcopo, ac etiam Stoflerino prop. 34. illius concilij Patres, decẽnoualis cycli cõficiendi munus, seu prouinciam, præfato Eusebio, simul cum Alexandrinis, astronomicarum scientiarum peritis, delegarunt. Alexandriæ. n. ea tempestate maxime vigebãt huiusce generis disciplinæ. Visi sũt igitur optimi illi patres existimare, aureum illum numerum, atq; æquinoctij locum, perpetuo, vbi positi fuerunt, permansuros. Cæterum breui de hinc tempore manifestum apparuit, & Cæsarem, & ipsos, tam circa æquinoctium, quã circa nouilunia, & aureorum numerorum sedes vt asserit præfatus Episcopus, ac etiã Stoflerinus, deceptos fuisse, atq; à veritate ab errasse. Quãplurium. n. peritißimorum Astronomorum, diuersorum temporum exquisitis obseruationibus, euidentißime compertum fuit, annuum solis motum. 365. diebus, & 6. horis exacte non contineri, sed aliquot vnius horæ minutis, minus: paucioribus autem aut pluribus, prout variæ de hoc fuerunt, varijs temporibus Astronomorum, ex eorum obseruationibus, opiniones. Quò fiebat, vt dum vltra 365. dies, sex horæ integræ ad cõplendum solarem annum assumerentur, atq; ob id prolixior, quã par fuerit, produceretur annus; equinoctium hanc ob causam,

causam, ita in calendario retrocederet; vt pedetentim versus initiũ mensis, certo quodã temporis spatio, per integrum diem retrorsum, siue sursum tenderet, atq; idcirco fixam sedem perpetuo non obtineret. Hinc sequitur, quod quẽadmodũ, dũ æquinoctium retrocedens, ac secũ primã lunationẽ deferẽs, à die vigesimo primo Martij, quẽ canon paschalis pro æquinoctio hac tempestate respicit, retrorsum tendit; ipsum pascha paulatim à prima lunatione ad secundam accedit, atq; ad tertiam & itidem ad quartam, atq; ad cæteras deinceps, si remedium non adhibeatur; atq; ob id ad messes ipsas, vindẽmiasq;, cæterasq; Agricolarum functiones, retrocessionẽ æquinoctij insequentes, accedere continget: ita etiam variæ per totum annum Agricolarum operationes, ac labores, eosdem Calendarij nostri menses, perpetuo statos non habebunt, sed ab vno ad alium per trãsibunt, verbi gratia messis à Iunio ad Iulium, vindẽmia ab Octobri ad Nouẽbrẽ, cæterosq; menses circumeũdo perlustrabũt Nã cũ huiusmodi villicæ ac rusticæ functiones ruraliaq; munera. anni partiũ qualitates, atq; aeris, cæliq; oportunitates sequantur, atq; respiciant: qualitates autem ipsæ à progressu Solis de signo in signum in Zodiaco, conditiones sortiantur; idcirco, quia retrocessionem ingressus solis in Arietẽ, retrocessiones etiã ingressuum eiusdem in cætera signa, & ob id anni etiam partium oportunitates, cæliq; qualitates, nostris mensibus, ijsdem in locis in calendario remanentibus, insequuntur; ideo, quẽadmodum restituto calendario ac stabili æquinoctij sede in illo reddita, legitimæ paschatis celebrationi prospicimus, atq; medelã afferimus; ita etiã mensibus nostris vt proprias singuli, aeris qualitates, perpetuas, statasque seruare queant, adiumento sumus: & ob id ijdem menses easdem Agrigolarum operationes, eadẽq; ruris munia perpetuo admittere, ac seruare poterunt. Nec minorẽ etiã vtilitatem allatura erit huiusmodi restitutio Calendarij, dum stabilis in eo statuetur sedes æquinoctij, Nautis ipsis, nauigatoriæq; facultati, in tempestatibus videli-

cet, diebusq; obseruandis, qui nam scilicet ad nauigãdum, ventisq; vela cõmittenda, fausti, vel infausti existimari queant, & qui allicere, & qui minari videantur. Nam perdurante calendario, quo hactenus vsi sumus, & adhuc vtimur, ac nõ restituto, profecto maius in dies detrimentum pedetentim continget Nautis. quippe qui easdem ijsdem nostrorum mensium diebus, anni oportunitates, cælestiumq; corporum aspectus, ac virtutes, statas, ac firmas respondere supponentes; dies, vel fœlices, vel infaustos ad nauigandum; ventorumq; vel oportunorum, vel infestorum flatus, conijcere, & diiudicare solent. Nam, exempli gratia, diui Simeonis diem, seu diuæ Catharinæ, aliorumq; certorum festorum dies, naufragiorum periculis obnoxios; sanctæ vero Crucis, diuiq; Nicolai dies, propitios, salutiq; fauentes esse asserunt; pertimescere videlicet sese dicentes diui Simeonis stellam, diuæ Catharinæ Sydus, & huiusmodi. Dum autem hæc obseruant, non animaduertunt huiusmodi quidem festos dies, statis nostrorum mensium diebus, esse perpetuo addictos; ãni vero oportunitates, aerisq; qualitates, syderũq; aspectus, & virtutes, æquinoctijs, solstitijs, signorumq; initijs retrocedentibus, vnà cum ipsis retrocedere, ac præfatorum mensium dies, sanctorumq; festa post se relinquere: ita vt illa cæli temperies, syderumq; virtus, quã hac tempestate festum diui Simeonis, exempli gratia, sortitur, dies videlicet vigesimus octauus Octobris; tempore Iulij Cæsaris, non præfatum hunc quidem diem, sed decimum Nouembris, respiciebat: propterea quod ab ipso Cæsare ad hæc tempora. 14. ferè dierum spatium confecit, retrorsum tendens æquinoctium, ac cuncta simul signorum initia in Calendario, signorumq; ortus, & occasus detulit; quorum viribus, ac virtute, anni oportunitates, aerisq; qualitates, reguntur, & disponuntur. Quãobrem vigente Romano imperio, Agricolæ, ac Nautæ iustius, atq; rationabilius faustos, & infaustos ad terram colendam, & ad mare nauigandum, obseruare solebant dies: dum certorum syderum ortum

&

& occasum expectabant, atq; respiciebant: quippe quos nõ latebat huiusmodi ortus, & occasus, anni qualitates insequi. Quin etiam qui de re rustica tunc scribebant, solares vmbras obseruabant.

Restitutio igitur Calendarij, si fœlicem sortietur exitũ, ac stabiles perpetuo reddet ingressus Solis in Arietem, cæteraq; signa; procul dubio, non solum ad rite celebrandum Pascha, sed ad hoc etiam, vt anni, aerisq; qualitates, cæliq; temperies, & oportunitates, in statis nostrorum mensium diebus, firmitudinẽ consequantur; perutilis erit. atq; ob id nõ solum Agricolis in colendis agris, sed etiã Nautis in eorum nauigationibus, maximam cõmoditatem, atq; vtilitatem largietur. Quinetiam huiusmodi firmitudo æquinoctij, festorũ etiam immobilium conditioni, quandam perfectionem, ac quasi decentiam afferet. nam quãuis immobilia festa mysticũ aliquod, ac sacramentale non indicent, siue significent, sicut Christi paßio, ac Resurrectio; sed tantum rem ipsam gestam ostendant (quia vt Augustinus ad Inquisitiones Ianuarij respondens asserit, dies Natalis domini, tantum in memoriam reuocatur, quod eo die natus sit Christus, non autem in sacramento celebratur, sicut Pascha) nihilominus nulli dubium esse potest, quin festa ipsa immobilia, solos dierũ mensium numeros seruent, nõ autem easdẽ anni, ac mensium oportunitates, cæliq; qualitates. nam alias ipsæ res gestæ tunc respiciebant qualitates temporum, & alias modo respiciunt illarum festa, nec non alias etiam futuris temporibus respicient. cõtingere. n. poterit, exempli gratia, quod perdurante præsenti calẽdario, ac nõ restituto, Natiuitas beatæ Virginis, locum illum, quò ad oportunitates, & qualitates temporum, occupet; quẽ modo Conceptio illius poßidet, & sic de alijs. Circa autem Lunam ipsam, eorũdem præfatorum Astronomorum quãpluribus obseruationibus exacte habitis, clare innotuit, Lunam Soli coniunctam. 19. annorum spatio non exacte ad eandem eiusdem diei partem reuerti. inuenerunt. n. 19. annos lunares cũ suis embolismis, non æquari præcise 19. ãnis

solaribus cum suis bisextis, sed horam vnam cũ aliquot minutis horæ æquationi deesse, prout asserit Paulus Episcopus Forosemproniensis in prima suæ Paulinæ parte. quæ quidem hora, & minuta, dum quolibet. 19. annorum cyclo iterum, & iterum duplicantur, tandẽ in quodã annorũ numero, diem integrũ efficiunt; atq; ob id aureos ipsos numeros per diem itidem vnũ retrocedere necesse est. De numero autẽ annorũ, qui ad huiusmodi, diei vnius, retrocessionem requiruntur, præcipuorum Astronomorũ opinio est, vt. 304 anni id efficiant. verum eorum loco. 300. accipere audacter possumus. quatuor. n. qui reliqui sunt, si omittantur, nè in pluribus quidem annorum millibus, sensibilis cuiusuis modici momenti parient errorem. Ex iam dictis igitur patere potest aureos numeros in calendario pro tempore Nicæni Concilij collocatos, ac ob id etiam Nouilunia, stabiles sedes perpetuo non obtinere.

Atqui, priusquã vlterius progrediamur, non alienum à re, quam pertractaturi sumus, existimari poterit, si pauca quædam, circa errores, in quos incidimus in paschate celebrando, eorumq; causas adducentes aliquantulum immorabimur. quò. n. notior est morbi alicuius qualitas, & causa, eò facilius adhibenda congrua medela, percipi poterit. Leges, seu cõditiones ad ritè pascha, suo legitimo tẽpore celebrãdum necessariæ, sunt huiusmodi. Ante omnia necessarium est, vt in primo anni mense, seu (quod idem refert) in prima lunatione celebretur. primam autem lunationẽ eam esse asserendũ est, cuius initium, nouilunium videlicet ipsum, seu prima luna, minus distat ab æquinoctio verno, quã quæuis alia prima luna. lunam autem huius lunationis quartã decimã vel incidere in ipsum æquinoctium opus est, vel proximã post illud sequi. atq; ob id quintadecima luna necessario semper post æquinoctiũ sequi debet. proximã dixi quartãdecimam lunã, hoc est, quæ prima post æquinoctiũ occurit. Præterea celebrari non debet pascha, nisi à quartadecima luna exclusa, vsq; ad vigesimam primam inclusam, vltra quã legitimum

mum non erit pascha. Die etiam dominico celebrari pascha necesse est; in illo scilicet, qui post quartamdecimã primæ lunationis lunã, proxime sequitur: quartamdecimã autem lunam voco, quartũdecimum lunationis diem, initio numerandi sumpto ab ipso nouilunio, in quo prima luna, hoc est primus lunationis, seu mensis dies residet & non in die, qui statim sequitur, vt putant quidam, quibus nõ libenter adhæreo, quẽadmodum nec ipse Forosemproniensis Episcopus, nec Lucidus, nec Stoflerinus. Verum dubitabit forte aliquis, obijcietq; aduersus ea, quæ dicta sunt, hac ratione motus. potest.n. contingere lunationis alicuius initium esse proximius æquinoctio; quartãdecimam autem eius lunã punctum ipsum æquinoctij præcedere, quẽadmodum diligenti calculo, iuxta medium Lunæ motum, quo, vt plurimum, vtitur Ecclesia, id inuenire cuilibet facillimum esse poterit. Hoc igitur contingente casu, huiusmodi lunatio idonea ad celebrandum pascha, nullo pacto erit. quãuis.n. vna ex cõditionibus nõ careat, videlicet, quod eius initium, siue nouilunium, cuiuslibet alterius lunationis initio, proximius æquinoctio sit; altera tamen conditio deest, cum eius quartadecima luna nõ incidat in æquinoctium, nec sequatur proxima post illud, sed ante exactum punctum æquinoctij, vt diximus, reperiatur. Si autem, vt hoc absurdũ euitemus, sequentem lunationem pro paschali assumemus; prima deerit conditio: nõ.n. eius initium propinquius erit æquinoctio. quid igitur agendum erit? hac.n. in re perplexi videri possumus. Verum enimvero obiectionem hanc diluere, non difficile esse arbitror. nam cum in suis canonibus, & cõputationibus, & calendarijs, integros dies respicere, & illis vti soleat Ecclesia, non autem eorũ partibus, & minutijs (vt facile ex eius consuetudine patere potest) satis est Ecclesiæ, atq; in hoc acquiescit, quod quartadecima primi mẽsis luna, si æquinoctium nõ pertransit, saltem in ipsum incidat hoc est in eius diem. an autem supputatis horis, ac horarum minutis, terminũ nõ intra potiorem partem diei æquinoctij, sed in quauis eius parti-

cula cõstituat, hoc ipsũ negligit ecclesia. Lex autẽ, siue cõditio superius adducta, qua requiritur quartũdecimũ primæ lunationis diẽ, vel in ipso æquinoctio, vel proximũ post illud reperiri; illud præcipue respicit, vt lunaris oppositio, siue quintadecima luna, necessario contingat post æquinoctiũ; itaquod si in ipso æquinoctio in die dominico reperiretur; huiusmodi dies ad pascha celebrãdũ idoneus nõ esset: q̃a hoc casu posito quartadecima luna æquinoctiũ præcederet, quod absurdum esse diximus. præterquã quod ex alijs etiam causis, teste Forosempromensi Episcopo, quartadecima luna in dominicum diẽ incidens, diem illum ad pascha celebrandum idoneum reddere non valebat, sed potius dominicum diẽ, qui proxime sequebatur, idoneũ efficiebat: nè scilicet in tertiadecima luna, in sabbatum incidente, ieiunij fieret solutio, quæ quartæ decimæ lunæ debebatur: & nè in die dominico, ob quartãdecimã lunam cogerentur ieiunare. Si vero quartadecima luna in æquinoctio existeret, essetq; dies sabbati, sequens dies dominicus ad pascha celebrandum idoneus haberetur.
Verum, cum superius dixerimus, quod Ecclesia dies integros, nõ autem eorũ partes, vt plurimũ respicere solet, poterit hoc forte cuipiã videri nõ omnino tutum. existimabit. n. casum aliquẽ euenire posse, quo dies integri, Ecclesiæ vsui esse nequeãt, & ob id cogatur ad eorum partes se se vertere, ad horas videlicet: vt si, exẽpli gratia, quintadecima luna in die æquinoctij existens, in duas æquas partes ita divideret lunationem, vt quantũ attinet ad dies integros, æque proxima æquinoctio essent duo nouilunia, videlicet præcedens, & subsequens; non æque autem quo ad horas. hoc ergo casu posito, si integrorum dierum rationem habuerimus, determinari nequaquã poterit, quænam ex duabus lunationibus prima lunatio dici queat, vt ad pascha inquirendum inseruire possit. quare, vt proximior tandem dinoscatur, ad diei partes, nempe ad horas recurrendum erit, quẽadmodum (vt aliqui arbitrantur) cõtigit anno domini. 1546.
Hæc obiectio, si recte perpendatur, tantum ab est, vt aliquid contra

tra id, quod diximus, videlicet Ecclesiam vt plurimũ dies integros respicere, eorũq; rationem habere; detrimenti afferat; vt illudmet exemplum, quod adducitur, dictũ nostrum potius confirmare, quã destruere aliquo pacto valeat. Siquidẽ, cũ præfati anni. 1546. aureus numerus esset 8. ac diei sexto. Marcij, necnõ diei quinto Aprilis, iuxta aurei numeri in Calendario distributionem, qua pro paschate vtitur Ecclesia, appositus tunc reperiretur; dies autem sextus Martij, & dies quintus Aprilis, æquali 14. dierum spatio a vigesimo primo die Martij distarent, atq; ob id aurei numeri 8 amborum mensium, etiam & ipsi æque proximi præfato diei existerẽt ac quò ad dies neuter alteri præferri posset; prælatus tamen fuit aureus Aprilis numerus; propterea quod, cum per aliquot tantum horas, quæ pars quædam diei quarti Aprilis erant, proximior diei vigesimo primo Martij reperiretur; idcirco sumpto integro die quarto pro eius parte, hoc est horarum illarũ loco; fuit hic dies, diei sexto Martij prælatus; quippe qui 13. dierum integrorum spacio a die vigesimo primo Martij distaret, a quò per 14. dies, sextus dies Martij distans erat: præsertim cum Ecclesia à media nocte soleat initia dierum sumere vt manifestum est. Pro prima igitur lunatione lunatio Aprilis ad intimãdum pascha selecta fuit; ac propterea in dominica post quartumdecimũ eius lunationis diem proxima sequente, sacrosanctum illud festum 7. Cal. Maias, vigesimo quinto videlicet Aprilis die, celebrauimus. Quare nulla ratione illos moueri posse arbitror; qui eorum sententiam impugnare audent, asserentium primũ mensem esse illum, cuius initiũ proximius æquinoctio verno reperiatur. Ad rationem siue argumẽtum autẽ, quod adducunt, quia eo casu posset decimaquinta luna in æquinoctij diem incidere, atq; in eo ob id, pascha fieri, quod nefas est; respõdere possumus nunquã id cõtingere posse, vt scilicet primæ lunationis decimaquinta luna ipsum occupet æquinoctium, vt diligenti calculo supputanti patere potest; dũmodo dierum integrorum, non autem

eorum

eorum minutiarum, ratio habeatur, vt morem esse Ecclesiæ paulo ante diximus. atq; huiusmodi veritati adhæret Paulus Episcopus Forosēproniēsis libro decimo primæ partis suæ Paulinæ, et alij quā plures, vt refert Joānes Lucidus. Cæterum, vt ad præfatas leges, & conditiones, ad hoc festum celebrandum cōgruo tempore, necessarias, redeamus; retrocessiones ab æquinoctio 10. dierum, ab aureo numero dierum 4. à tempore Concilij Nicæni factæ, ac ab ipso Concilio non præuisæ; potissimæ, ac penè solæ causæ sunt, cur in præfati sacrosancti festi celebratione, præfatarum legum, & conditionum obseruantia negligatur. Nam quoniam Concilij illius Patres in Canone paschatis, loco æquinoctij diem vigesimūprimum Martij, loco autem nouiluniorum, aureum numerum respexerunt, idem referre existimantes; quippe qui, & æquinoctium, & aureum numerū ijsdem in sedibus, quas tunc obtinuerunt, perpetuo permanere censuerunt; idcirco hinc illud contigit, vt cum, nec æquinoctium, nec aureus numerus, in præfatis sedibus permāserint, versus initiū mēsis ob eas, quas attulimus causas, retrocesserint, atq; hinc præfati, in inueniendo, ac intimādo sacrosancti paschatis die, errores emersêrunt. Primum .n. quò ad æquinoctium, cum hac tēpestate circa decimum & vndecimum dies Martij, locum habeat; contingit quandoq; alicuius lunationis initium proximius esse vero ipsi æquinoctio diei scilicet decimo aut vndecimo Martij, quod tamen vigesimoprimo primo proximius non erit, sed proximius ipsi erit sequens post præfatum diem, sequentis lunationis initium. quare, cum præfatorum, duarum lunationum, initiorum, illud eligere opus esset, quod vero æquinoctio propinquius reperitur; nos tamen, ne præfati, quo nunc vtitur Ecclesia, canonis verba negligamus, alterius lunationis initium eligimus. Quò fit, vt non solum hac ratione, contingere necesse sit, vt quandoq; eueniat pascha sanctum post vigesimum primum primæ lunationis diem, cōtra diuinum præceptum celebrari, verum etiam (quod est absurdius) in secundo mense, quēadmodum

hac tempestate sæpius euenire videmus. quinetiã eueniet quandoq; si sufficiens remediũ nõ adhibeatur, vt tertio, vel quarto, vel quouis alio anni mense, atq; ob id quandoq; messis tẽpore aut vindemmiæ, celebretur Pascha. Cæterum quia hac tempestate non vlterius retrocessit æquinoctium, quã ad decimum, & vndecimũ dies Martij, præfatus error in secundo tantum anni mense contingere potest. ita quod pascha ab eo die, in quo celebrari oporteret, ad illũ, in quo celebratur 28. dierum spatio differre, aut distare queat; ac etiam pro dominico die expectando, vsq; ad 35. dierum spatium, cum huiusmodi expectatio tot ad summum requirat, & exposcat dies. exẽpli gratia. si quarta decima luna diem vndecimum Martij posside bit, tunc, quãuis existente æquinoctio, vt vere existit, circa illũ diẽ, huiusmodi quartadecima luna, sit primæ lunationis, siue primi mẽsis; nos tamen præfato canoni inhærentes, quartãdecimã lunã primæ lunationis habebimus decimo Aprilis die, quia huius lunationis initiũ proximius erit diei xxi. Martij, quã sit initium præcedẽtis lunationis. Quamobrem si xi. dies Martij dominicus dies erit, pascha, qđ die xviij. Martij celebrari deberet, quintodecimo Aprilis celebrabitur; atq; ob id 28 dierũ spatio vlterius, quã opus esset, dilatũ erit. Si autem dies vndecimus Martij sabbati dies erit, pascha non cõtinget die duodecimo Martij, vt ratio exposceret, sed die sextodecimo Aprilis celebrabitur; & idcirco spatio 35. dierum à legitimo paschate distabit. Huiusmodi igitur, diuersitas, ac differentia contingere potest, si pascha ipsum celebrari continget in secũdo mense. Verum euenire etiam potest, vt ipsum celebremus in primo mense, & nihilominus celebrationis dies distet à vero, & legitimo ipsius die, ob retrocessionem, quã spatio 4. dierum aureus numerus à Nicæna Synodo institutus, vsq; ad hanc tempestatem fecit. Quare dum iuxta canonem, quo vtitur ecclesia, ab aureis numeris illius synodi nouilunia sumimus, potest ob id cõtingere, vt pascha celebremus in primo mense, & tamen huius celebrationis dies, à legitimo

die differat. quæ quidē diuersitas 7. continebit dies. quot videlicet ab vno dominico die ad alium differtur celebratio. exempli gratia, si quopiā in anno diem paschatis inuenire voluerimus, cuius quidē anni aureus numerus sit 7. litera vero dominicalis. D. tunc iuxta vsum Ecclesiæ, aureum numerum 7 prout in Calendario, illius synodi iussu instituto, positus fuit, reperiemus appositum diei decimo septimo Martij, atq; ibi supponet Ecclesia esse nouilunium primi mensis, tāquā proximius diei vigesimo primo Martij, vbi æquinoctiū supponimus. quare quartadecima luna trigesimū die Martij poßidebit, et quoniā secūda feria erit, dies videlicet Lunæ, ad dominicū qui sequitur diem pascha differetur, ad quintū scilicet Aprilis diē. Cæterum si eiusdem anni pascha inquiremus legitimū, vt ratio poscit, verū nouilunium in die tertio decimo Martij inueniemus, quippe quod à suo aureo numero 4. dierum spatio retroceßit. quod quidem nouilunium, cum proximius sit vero æquinoctio, circa decimum & vndecimum dies Martij existenti, primæ dabit lunationis initium. luna igitur quartadecima diem Martij vigesimū sextum attinget, quæ Iouis erit. atq; ob id in dominica sequenti, nēpe in die vigesimo nono Martij, verum pascha iuxta præceptum domini celebrandum esset. quod tamen iuxta nostrum canonem, quò vtitur Ecclesia, quinto Aprilis die, vt vidimus, celebratur 7. dierum spatio ab illo distans. Ex iam dictis patere potest, quod hac tēpestate, in qua æquinoctium 14. tantum dierum spatio ab æquinoctio Christi retroceßit, aureus vero numerus 4. dierum tantum, à sedibus pro tēpore synodi Nicænæ traditis; diuersitas paschatis, ex præfato canone, prouenientis, à legitimo paschate, si differre cōtingat 28. vel 35. dierum erit, si illud in secundo mense cōtingat. si autem vtrūq; in primo contigerit. 7. tantum dierum existimari poterit. Non autem absque causa, aut temere diximus (si differre cōtingat) euenire. n. potest, ac frequenter euenit, vt ambo hæc paschata, dierum spatio nō differant, sed cōcurrant in eodem die. quēadmodum

dum, exempligratia, contingere vidimus in anno præterito 1577. nam cum eius anni aureus numerus esset 1. verum autem nouilunium decimũ nonum diem Martij obtineret, quippe quod 4. dierũ spatio à die vigesimo tertio, vbi præfatus aureus numerus pro eius cõcilij tẽpore collocatus fuit, retrocessit; nos iuxta canonẽ, quò vtitur Ecclesia, principiũ primæ lunationis sũpsimus à die vigesimo tertio Martij, proximius videlicet diei vigesimo primo, vbi æquinoctiũ esse supponimus. Quare, cũ quartus decimus eius lunationis dies, qui quidem currente litera dominicali. F. dies fuit Veneris, diẽ quintũ Aprilis attingeret, sequens dominicus dies, nempe septimus Aprilis, pascha, vt vidimus, nobis attulit. Atqui eodem ipso die verũ etiã pascha habuissemus. Siquidẽ existente vero nouilunio in decimonono die Martij, atq; ob id sumpto inde primæ lunationis initio, proximo videlicet vero æquinoctio, circa decimum & vndecimum dies Martij existenti, ac hodie versanti, quartãdecimam eius lunationis lunam, primus habuisset Aprilis dies, Lunæ scilicet dies, seu secunda feria. quapropter dominicus dies, qui proxime sequebatur, nempe septimus Aprilis, verum, ac legitimum pascha tribuisset: in quo quidem diè ex canone, quo Ecclesia vtitur, suũ pascha, vt superius ostendimus, Ecclesia collocauit. Verum enim vero retrocedentibus in dies magis, ac magis æquinoctio, aureoq; numero, continget quandoq; labente tempore, si remediũ aliquod nõ afferatur, vt præfata paschata, in eodem die conuenire nequeant; neque etiam in eodem mense, sed semper differant.

Huiuscemodi igitur erroris vna causa, retrocessio, præuentioque æquinoctij, vt vidimus, existimanda est. Altera vero causa aurei numeri retrocessioni ascribi potest. Nam cum Nicæna Synodus in præfato paschatis canone, aureos numeros (vt dictum est) loco nouiluniorum, seu primarũ lunarum supposuerit, nouiluniaq; ipsa, vsq; ad hæc tempora 4. dierũ spatio retrocesserint; idcirco, si nos, vt præfato canoni inhæreamus, aureum numerũ anni, cuius pascha quæ-

rimus, propinquiorem æquinoctio sumpserimus, tanquā cum ipso, initium lunationis habeamus, cum tamen 4. dierum spatio, lunationis initium retrocedens, aureum numerum inferius reliquerit; quartam ob id lunam loco primæ, decepti sumemus. quò fit, vt loco quartædecimæ lunæ, lunam decimāoctauā; assumamus; ac propterea dies vigesimusprimus post aureum numerū sumptus, vigesimus quintus ipsius lunationis erit. Quāobrem contingere poterit, vt celebrationis error post vigesimum primum lunationis diem, vsq; ad 4. dies, nempe non solum ad vigesimum secundum, ad vigesimū tertiū & ad vigesimum quartū diem, sed etiam ad vigesimū quintū quandoq; protendatur. totidem n. dierum spatium iam confecerunt retrocedentia nouilunia, aureosq; numeros inferius reliquerunt post Nicænam Synodum. Quin etiam retrocessionē in dies auctā, si huic malo Ecclesia non medetur, pascha ipsum, nō solum ad vigesimum sextum, ad vigesimum septimum diem, & amplius ac etiam ad secundum mensem, sed (quod peius est) ad messes, ad vindēmias, ad sationes, & ad omniū tandem mensium functiones, processu temporis, deducere necesse est. Canon igitur ad inueniendum, & ad intimandum pascha, vt Sanctorum Ecclesiæ Doctorum, ac legitimorum Conciliorum, Pontificumq; maximorum authoritate ostendi potest; huiuscemodi verbis proponi posset. videlicet quod post lunam quartamdecimam primi mensis, seu primæ lunationis (quæ illa est, cuius initium proximius sit æquinoctio verno) primus dominicus dies, qui proxime sequetur, paschalis dies erit; quē à quartadecima luna exclusa, ad vigesimam primā inclusam contingere necesse fuerit. quod quidem ob præfatos errores, præfatamque deceptionem, non seruatur.

Cum iam igitur præfati errores innotuissent, ac iam satis manifestum fuisset ob dictas causas, quod nec æquinoctium, nec aurei numeri nouiluniorum indices, firmas in caleudario haberent sedes, ac à prioribus sibi olim destinatis sedibus, plurium dierum spatio retro-

troceßissent, atq; ob id ad rite quotannis inueniēdum, & celebrandum sanctū pascha, calendarium illud inseruire minime posset; multi, & elapsis temporibus, & hac etiam tepestate, viri Mathēmaticarum scientiarum periti, extiterunt, qui magno labore, ac studio conati sunt, formā, ac rationē aliquā inuestigare, qua ita calendarium restitui posset, vt Aequinoctij, & aureorum numerorum inconstantiæ, ac retroceßioni, præuentioniq;, talis medela, taleq; remedium adhiberetur, vt stabiles tandem ibi, ac firmæ permanerent eorum sedes.

Sed forte dubitabit aliquis, ad quid, restituēdi calendarij prouinciam sibi sumpserint, aut sumant ij, qui in hoc, laborē, ac studium impendunt; cum huiusmodi studium, atq; onus, inane, ac frustra susceptum videri poßit. propterea quod de hoc iam decretū habemus canonē Nicænæ Synodi, inter alias celeberrimæ: cuius magnæ authoritati, ac sanctißimis decretis, potius acquiescere debemus ea obseruando, quā quodammodo aduersari, emendationes inquirendo. Huic dubitationi, siue potius obiectioni, respondere possumus, quod Canones alicuius Oecumenici Concilij legitime congregati, in dupli ci sunt differentia, duplexq; eorum genus est. Unum est illorū, qui pertinent ad ius diuinum, veluti sunt ij, qui spectant ad substantiā articulorum fidei, ac Sacramentorum, vel qui habent manifestum ac substantialem (vt ita dicam) connexum cuius illis; aut etiā qui respiciunt ius naturæ, & huiusmodi. Aliud genus est eorum canonum seu Decretorum, respicientium ius positiuum. Canones igitur prim generis, quò ad eorum substantiam, essentialiter (vt ita dicā) conuelli, ac immutari nequeūt. Alterius vero generis canones Epyciæ virtuti, tamquā eorum moderatrici, subijci possunt; cuius auxilio, si occasiones, circumstantiæq;, quas temporum varietates, & mores ipsi, ipsæq; consuetudines afferre queunt, id exposcere videātur; possunt legitima Concilia, summiq; Romani Pontifices, de illis dispensare, nouasq; illis formas tribuere, ac in melius tandem cūcta

restituere. Huius ergo generis est Canon paschalis, si forte non quo ad eius substantiam, saltem quo ad eius circunstantias, & acciden tia. Quod igitur inquirimus in restitutione calendarij, non ad euellendam, atq; immutandam substantiam, ac formam canonis præfatæ Synodi, inquirimus; quæ quidem forma in hoc posita est, vt in illa dominica celebretur pascha, quæ proxima sequitur post quartamdecimam lunam primæ lunationis, illius scilicet, cuius initium (hoc est prima luna) proximius sit verno æquinoctio. Sed quoniã in canone loco æquinoctij sumitur vigesimus primus dies Martij, loco autẽ nouiluniorũ, aurei sumũtur numeri; quẽ quidẽ vigesimũprimũ diem cõtigit nõ amplius cõcurrere cum æquinoctio, sicut nec aureos numeros cũ nouilunijs, propter eorũ anticipationes, præuẽtionesq; ob Solis, et Lunæ cursus; propterea nos in calẽdarij restitutione, quærimus ita illud reducere, ac ordinare, vt firmis redditis æquinoctij, et nouiluniorũ sedibus, eius canonis substãtiæ, ac primariæ intẽtioni perpetuo inseruire possit. & (vt Dialecticorũ more respondeamus) non formaliter canonem illum restituere, atq; immutare quærimus, sed potius materialiter, vt manifestum est. Ad hoc autem efficiendum varia inuenta, variasq; formas, perspicacia diuersorum doctissimorum hominum ingenia, diuersis itidem temporibus, summo studio huic negocio incumbentia, excogitarunt, indagarunt, atque inuestigarunt. Quoniam vero Aequinoctium, & aureus numerus, dum per vnum diem in Calendario (vt diximus) retrocedunt, eundem annorum numerum nõ requirunt, sed minorẽ illud, maiorem hic; maximas ob id difficultates, præfati huius negocij indagatores inuenerunt, ac obuias habuerunt; dum in hoc præcipue laborarent, vt talem medelam, ac restitutionis formam inuenirent quæ simul, & æquinoctij, & aurei numeri præuentiones, ita respicere posset, vt vtrisq; firmitudo, ac stabilitas in calendario statueretur; æquinoctio scilicet, & nouiluniorum locis.

Nam cum frequẽtius pro firmitudine æquinoctij, dies ex anno exi

mi

mi debeat, quã pro primarum lunarum sediũ stabilitate, eximendus sit; ac nouiluniorũ sedes, quotienscumq; ab anno dies demitur, vnius diei spatio (vt inferius loco suo docebimus) deorsum tendere cogantur; idcirco ablationes ipsæ, dum in numero annorum non cõueniunt, sed longius vna, quam altera, exposcit tempus, mutuo sese impediunt, vt clarius inferius patere poterit.

Quò fit, vt dum aliqua Calendarij forma quæritur, quæ simul æquinoctij, & lunationum æquationi quadrare, & inseruire possit; immodica, miraq; insurgit difficultas, & talis quidem, vt non pauci illam impoßibilitatis nomine appellarint. Quamobrem quã plures extitisse asserit Lucidus, nec non Forosemproniensis Episcopus; qui satis fore existimarint, si æquinoctio, aureoq; numero, sedes à Concilio Nicæno illis destinatæ, restituantur; ac cum primum eodem dierum spatio denuo retrocesserint; illis nouæ restitutionis prouincia relinquatur, qui futura illa tempora, futurumq; illud seculum obtinebunt. Cardinalis etiam Aliacensis in Concilio Constantiensi, pro restitutione Calendarij, nihil aliud, aut saltem nihil melius, fieri posse arbitratus fuit, quam si æquinoctium ad decimum & vndecimum Martij, in quibus hac nostra tempestate contingit, figeretur, ac aureus numerus ad quatuor dies retrorsum, seu sursum retraheretur. Vidit enim vir ille doctus, in re tam ardua, hoc satis videri posse, si præsentibus malis, medela sufficiens adhibeatur: malorum vero futurorum curam, atq; cogitationem, futuris hominibus relinquendam esse. à qua quidem sententia non discrepat etiam Ioannes de Monteregio. Huiusmodi autem opinionem præfatus Cardinalis, Ioanni 23. si sũmo Pontificatui non ceßisset, proculdubio persuasisset, vt Lucidus asseuerat. Quare alij quã plures idem sentientes, Tabulas ad mille, & ad bis mille annos, astronomico calculo supputantes, confecerunt: relinquentes etiã & ipsi ijs, qui futuris temporibus doctrina florẽtes, atq; pollentes reperientur, prouinciam conficiendi nouas tabulas.

Formam autem aliquã restitutionis perpetuo duraturam, aut nõ posse fieri existimarunt, aut ita difficilem duxerũt, vt ferè difficultas, cum impossibilitate conuertatur, ipsiq; æquipolleat. Et eò magis, quò quãtitatem solaris anni pluribus ex causis, determinatam, certamq; non habemus, sed inæqualitatem potius; & præsertim ob motum accessus, & recessus octauæ Sphæræ, de quo aliquid inferius tangemus. Ac tandem si præsenti tantum malo remedium afferatur, post tot de hinc annorum spatium, quot post Nicænam synodũ hanc nostram tempestatem præcesserunt, videlicet 1250. & aliquot amplius, maius malum, deteriorq; conditio contingere nõ poterit, quã illud ipsum malũ, quo modo laboramus cui illi, qui tunc extiterint, ac quorum tunc intererit, mederi poterunt, veluti nos modo medemur nostro.

Atqui, vt de hac re, nimium forte audens, nõ sileam quod sentio, cum sæpe sæpius animo mecum voluens, viderim nõ paucos, Mathẽmaticarum sciẽtiarum peritissimos viros diuersis temporibus, atq; in sanctis etiã Concilijs ipsis, magno studio, ac labore per tentasse, aliquã formã Calendario tribuere, quà Aequinoctij, ac nouiluniorum sedes perpetuo stabiles permanerent; certaq; æquandi motus lunæ cum motu solis, intercalationis regula, ac ratio, si fieri posset statueretur; ac omnes tamen eorũ conatus laboresq; irritos, & inanes tandem euasisse; ac nũquã rem ipsam, ob eius difficultatem, ac forsitan impossibilitatem, ad exitum peruenisse; ego, ne dum Medici frustra differunt, ægroti morbus in dies magis, ac magis inualescat, viresq; in dies sumat; optimũ fore arbitror, si præsenti, vrgentiq; ægritudini, qua laborat Ecclesia, medela illa, quæ difficilis non est, in præsentiarum afferatur; vt scilicet æquinoctium ad aliquam sedem, quæ conuenientior videri possit (ego autem vigesimumquartum, & vigesimum quintum dies Martij; cunctis alijs præferẽdos esse paulo inferius ostendam) redigatur; aureus vero numerus ad nouilunia nostrorum temporum coaptetur. hoc enim pacto saluti Ec-

clesiæ

clesiæ in celebrãdo iuxta diuinũ mandatũ paschate, ad centũ saltẽ ãnos prospiceretur; et quædã, quasi morbi induciæ illi cõcederẽtur.

Interim autem poterunt viri docti pro perpetua eius salute laborare, suasq; vires exercere. Quod si forte adipisci nequibũt, per hoc tamen interuallum temporis in tuto erimus. Eorum vero, qui post totidem annos, quot à Nicæna synodo ad nostra tẽpora elapsi sunt, extiterint, solariq; fruentur luce, ac quorũ intererit; deterior quidem conditio, qua nos sumus, proculdubio nõ erit: salutiq; tunc suæ prospicere poterunt; veluti nostræ in præsẽtiarum nos prospicimus. Sed, vt ad id, à quo digreßi aliquantisper sumus, redeamus. Non tamen ob id defuerunt, aut desunt animosiores aliqui, qui huiuscemodi difficultatem superandi munus, non sine magno labore, ac studio, auidißime susceperunt. Inter cæteros autẽ doctißimos viros, qui hac in re summopere laborarunt, fuit Aloisius Lilius, magna quidem cum eius laude. Cuius inuentum, ac sententiam, in breue compendium redactam, tibi à summo Ro. Pontifice Gregorio xiij. (Sereniß. Magne Dux) missam fuisse, scimus, vt à peritis huius generis doctrinæ, tuæ ditionis viris, legi, perpẽdi, ac de illa tandem iudicium fieri, et in medium afferri posset. Tu vero, qui de me maiora forte concepisti, quam de me, ipsemet vnquam agnouerim, me etiã vnum inter illos elegisti, quos idoneos ad iudicium aliquod, non penitus despicabile, circa præfatum cõpendium, proferendum, existimasti. Ego autem, nec exilium mearum virium, neq; cuiusuis alterius rei, maiorẽ, quam tibi obtemperandi, habendam mihi esse rationem sum arbitratus.

Verum, vt ad præfatum Lilij compendium redeamus, primo loco ea, quæ pertinent ad æquinoctium doctißime discutit, ac pertractat, ac tandem opinionẽ concludit, statuitq; suam. dehinc ad ea, quæ ad nouilunia, & ad ipsam lunam spectant, sermonem vertit: ac postquam multa subtiliter, ac ingeniose hac in re disseruit, sententiam suam aperit, atq; profert. Hoc secundum caput, posteaquã

prius, quod primo loco pertractat, expenderimus, dehinc inferius examinabimus, & ponderabimus. Circa æquinoctiũ igitur, anni solaris quantitatem ab Alphonso positam, comprobat, & sibi sumit Lilius, 365. videlicet dierum, horarũ quinque cum minutis horæ 49. secundis vero 16. ex qua anni quantitate sequitur, vt quibuslibet 134. annis, per integrum diem, æquinoctiũ versus mensis initium retrocedat. Huic autem retrocessioni, ac præuentioni, illã adhibet medelam, ac remediũ, vt quolibet 134. annorũ circuitu, vnum ex anno demamus diem, annum vnum ex bisextili communem efficientes. Ut autem annis notabilioribus, id contingat, quales sunt anni centesimi; aliam, (quam idem referre asserit) huiusce demendi diei formam, ac rationem à Ioanne Lucido relatam admisit; vt scilicet, non in ipsomet 134. annorum completo spatio, demptio illa per bisextilem annum communem factum, efficiatur; sed vt per trecentos annos, centesimus quisq; annus, ex bisextili communis fiat, quadringentesimus dehinc vero bisextilis relinquatur, atq; eodem ordine deinceps perpetuo procedatur. Quouis autem horum modorum, communes anni ex bisextilibus ordinentur, necessario æquinoctium in illa sede, in qua collocatum fuerit, stabile permansurum asserit. secundum tamen modum, tanquam conuenientiorem ob centesimorum annorũ nobilitatem, præferendum putat. De sede autem, ac loco, vbi in calendario æquinoctium statuẽdum sit, Lilius omnibus alijs sedibus præferendam esse illam censet, quæ circa vigesimum primum & vigesimumsecundum dies Martij versatur; quam concilij Nicæni Patres, circa annum Domini 322. constituerunt. Quoniam autem manifeste constat, hac tempestate æquinoctium circa decimum & vndecimum dies Martij mansionem facere; idcirco recte asserit Lilius, quod si æquinoctio sedes à præfata synodo illi præfixa, restituẽda sit, id facillime fieri poterit, si 10. dies, ita ab anno, in quo præfata restitutio facienda est, demantur, atq; auferantur, vt inter anni illius dies non connumerentur.

tur. Al tollendos autem hosce ab anno dies, optimam arbitratur esse viam, ac rationē, si tot consequentes bisextiles annos, quot dies eximēdi erunt, communes efficiamus. exempligratia cum in annis 40. contineantur 10. anni bisextiles, si 10. dies ex anno auferre volumus, ipsos 40. annos cōmunes omnes effici oportebit, vt æquinoctium circa vigesimumprimum & vigesimumsecundū dies Martij, collocare poßimus. Huiusmodi autem dierum ablationem, nihil penitus referre putat Lilius, quo mense, aut qua anni parte contingat fieri, dummodo ex anno auferantur.

Hæc sunt, quæ in præfati cōpendij primo capite à Lilio circa æquinoctium tractantur, atq; asseruntur, magna quidem doctrina, & ingenio excogitata: atq; ob id circa ea nil forte mihi dicendum esse arbitrarer, si ante omnia illud à me præferēdum esse non viderem, vt scilicet mandatis tuis (Serenißi. Domine) paream, atq; obtemperē. Primum igitur illud in mentem venit, quod supposita (quam tamen nō probamus) ea solaris anni quantitate, quam Lilius, Alphonsi sententiæ inhærens asserit, & qua posita, necessario sequatur, quolibet 134. annorum spatio, æquinoctium per vnum diem retrorsum tendere, atq; ob id ad illud cohibendum, quolibet præfatorum annorum spatio, oportere diem ex anno. demere, communi videlicet ex bisextili facto; non ob id tamen illud commode excogitatum existimo, vt notabiliorum annorum, nempe centesimorum, ita sit habenda ratio, vt centesimus quisque annus vsq; ad quadringentesimū, ex bisextili communis fiat, quadringentesimo bisextili remanente; ac deinceps idem seruetur ordo. Nam tamet si in quadringentesimo anno iusta, auxilio bisexti, æquatio, ac compensatio fieret, et æqua retributio; nihilominus intra ipsos annos quadringentos, dum primi tres centesimi communes fiunt, illud sequitur absurdi, quod dies integri, prius quam par sit, eximentur ex anno. Exempli gratia, cum ad quantitatem anni solaris à Lilio commendatam, sequatur, quolibet 134. annorum spatio, ad firmandum

æquinoctium, demendum esse ex anno diem vnum; si dies ille ex primo centesimo auferetur anno, tunc iustam, ac debitam ablationẽ, per 34. annos, per tertiam scilicet centum annorum ferè partem, illa præcedet ablatio; atq; ob id dies tunc ablatus, quarta diei parte, sex horis scilicet, abundabit. ex secundo autẽ centesimo, si demetur dies, tunc debitam ablationem per 68. annos, per duas scilicet cẽtum annorũ tertias ferè partes, hæc præcedet ablatio: atq; idcirco dies tunc ablatus, dimidio diei, nempe 12. horis superabundabit. ex tertio tandem centesimo anno, si demetur dies, iustam ablationem per 102. annos hæc præcedet ablatio, & propterea dies tunc ablatus, tribus diei quartis partibus super abundans fuerit, 18. videlicet horis. Hos autem excessus, quamuis quadringentesimus dehinc annus, præfatasq; inæqualitates, perbelle æquare, & compensare videatur; negari tamen nequaquã potest, quin præcedentibus trecentis annis, absurdi contingant huiusmodi excessus. Tutius igitur (mea quidem sententia) ac conuenientius, supposita anni quãtitate, quam ponit Lilius, asserendum esse censeo, quolibet 134. annorum spatio, communem ex bisextili efficiendum esse annum, quam præfatorum 400. ordinem sequi, quem ipse, vt diximus, sequendum existimauit. Quoniam autem ipsemet centesimus trigesimus quartus annus, cũ bisextilis non sit, cõmunis ex bisextili effici nequit; proximus tamen præcedens bisextilis annus, videlicet centesimus trigesimus secundus, eam obtinere conditionem poterit.

Hac igitur via, ac ratione, si supposita anni solaris quantitate à Lilio recepta, (quã tamen non admittimus) quolibet 134. annorum spatio, annum communem ex bisextili cõstituemus; perpetuo stabile æquinoctium statuetur. Verum enimuero præfatam anni solaris quantitatem, non admodum tutam arbitror; quippe qui tutiorẽ illam opinor, quam ponit Albategnius Arabs, 365. scilicet dierum, horarũ quinque, min 46. sec. 16. Adhæreo autem huic opinioni, tum ob ipsius celeberrimi authoritatem viri, tum etiam quod

quod peritißimos recentiores Astronomos nostri tẽporis huiuſmodi opinionem ex eorum obſeruationibus, anniq; quantitatem, non admodum ab illa Albategni diuerſam, hauſiſſe intelligam, ac probaſſe. Præterea mihi modo in mentẽ venit, quod dum iuuenis, 40. iam ferè elapſis annis, Patauij, ſtudij cauſa commorarer; cum admodum familiariter vterer Friderico Delphino, meo in mathẽmaticis literis præceptore, Aſtronomo quidem egregio, & magni nominis, graui annorum numero penè confecto; quippe qui per 35. annos, & amplius, cum ſumma eius laude, mathemmaticas diſciplinas in illo celeberrimo Gymnaſio profeſſus fuerat; vidi illũ ſumma diligentia, exactiſq; obſeruationibus, obſeruare conantem ingreſſũ Solis in principiũ Arietis, & ipſam ſolaris anni quãtitatem. atq;, vt exquiſitius id exequi poſſet, inſtrumẽtum quoddam, ſub figura quarti circuli, quadranti ſimile, conſtruxerat, adeo amplũ, vt triũ cubitorũ, & amplius, eſſet cõpleti circuli ſemidiameter. propterea quod quò maiora cõſtruuntur inſtrumenta aſtronomica, eò exquiſitiora exiſtimãda ſunt. Atq; in hoc, adeo mihi Fortuna arriſit, vt ex quinque annis, quos Patauij conſumpſi, quatuor miram ſerenitatem aeris, nitẽtemq; Solem, circa æquinoctium vernum, nacti fuerint. Memoria ergo teneo Fridericum illum nõ ſemel aſſeruiſſe ſeſe inuenire quantitatem anni ſolaris ab Alphonſo poſitam, videlicet 365. dierum, horarũ quinque, & min. 49. tribus horæ minutis maiorem ab illo poſitã, quam oportuiſſet. atq; ex huius ſummi viri verbis tandem memini me animo concepiſſe, ipſius ſententiã fuiſſe, anni quantitatem, ab ea Albategni non admodum diuerſã fuiſſe. Fratrem etiam Ignatium Dantem, virum in mathemmaticis diſciplinis admodum verſatum, atq; peritum, anni quantitatem Bononiæ obſeruaſſe, ac eam inueniſſe, mihi relatum fuit, à quãtitate Albategni non admodum differentem. Huc accedit, quod, cum vernum æquinoctium ab eo die, in quo, vitam agente in terris Chriſto, cõtingebat, vſq; ad diẽ, in quo hac noſtra tẽpeſtate reſidet;

 ſpatio

spatio ferè 14. dierũ retrocesserit; nullus inter solares annos, quos ponunt Ptolemæus, Alphonsus, Stoflerinus, & Albategnus, præfatæ retrocessioni, proximius respondere, ac cõuenire potest, quam annus Albategni. Siquidem iuxta opinionem Ptolemæi, qui in solari anno, ad dies 365. & horas quinque addit, 55. horæ minuta, æquinoctium ab anno primo Christi ad hæc nostra tempora, minori, quam sex dierum spatio, præuenisset. Iuxta vero Alphonsi sententiã, qui ad præfatos dies, & horas, 49. minuta iungit, vix 12. dies ipsa retrocessio compleuisset. Iuxta opinionem autẽ Stoflerini, ad eosdem dies, & horas, minuta ferè 48. apponentis; 13. integros dies illa retrocessio non superasset. Cæterum anni quantitas Albategni, dierum videlicet 365. horarũ quinque, & min. 46. cũ dies 14. retrocessionis afferat, ipsi veræ retrocessioni, quam in æquinoctio fuisse factam inuenimus; conuenientius, quam aliorum vlla, quadrare videri potest. Quare nõ immerito (mea quidem sentẽtia) Albategni opinio, circa solaris anni quantitatem, aliorum præfatorum opinionibus præferendam esse, vnicuiq; manifestum esse poterit. Ad quem quidem annum, consequens est, vt cẽtesimo sexto quoq; anno, per diem vnum æquinoctium retrocedat; atq; ob id ad ipsum in eadem statione detinendum, quolibet 106. annorum spatio, opus sit annum efficere communem ex bisextili, videlicet ex cẽtesimoquarto, quia centesimus sextus, bisextũ non admittit. Quoniam vero si loco 106. annorum, soli 100. accipiantur, illorũ 6. qui reliqui sunt omissio, nullum in quampluribus annis, perceptibilis momenti errorem pareret, idcirco audacter pro 106. annis, solos 100. assumere possumus, ac centesimum quemq; ad firmandum æquinoctium, ex bisextili communem efficere. nam in duobus millibus annorum vix vnius diei descensus æquinoctij in calendario sequeretur. cuius tamen erroris, seu differentiæ, quamuis modicæ, si rationem habere vellemus, facillimum remedium adhiberetur, si quilibet bismillesimus annus, bisextilis relinqueretur. centũ igi-

tur

tur pro 106. accipiemus annos. & hoc eò conuenientius, quò centesimus annus, centesimo sexto, notabilior, & facilius in memoria retinendus apparet. huiusmodi. n. nobilitatē, ac notabilitatem annorum, non esse despiciendam, & nos fatemur, dummodo id fieri queat, nulla re absurda inde contingente. Præfatam igitur quantitatem anni solaris, alijs omnibus præferendam reor: tamet si illi sententiæ prius adhæserim, quā ponit Stoflerinus, mediam scilicet inter Albategnum, & Alphonsum; ex qua sequi videbatur centesimo vigesimo quoq; anno, communem annum ex bisextili, ad firmitudinem æquinoctij statuendam, atq; stabilem sedem collocandam, efficiendum esse. Et eò libentius reiecta illa opinione sententiam hanc amplector, quò & alij etiam, vt Ioannes Lucidus asseuerat, non defuerunt, qui hanc eandem approbarunt; centum scilicet annos duntaxat ad id satis esse, vt dempto ab illis vno dies, stabilis permaneat sedes æquinoctij. Nec nō eidem opinioni subscripsit etiā Nicolaus Cussanus Cardinalis, vt Paulus Episcopus Forosemproniensis attestatur. præterquam quod cum Danthes Aldigerius in vigesimo septimo Paradisi capite, neglectæ illius centesimæ mentionem faciat, conijcere ex hoc possumus, huiusmodi opinionē sua etiā tempestate viguisse. Quin etiam Albategnum ipsum asserit præfatus Paulus annum solarē posuisse constantem ex 365. diebus, & 6. horis, centesima vnius diei parte dempta. Hanc igitur sententiā inter alias tutiorem reor: iuxta quam ex singulis centesimis annis, singuli eximendi erunt dies, nempe ex annis notabilioribus, & ex memoria difficilius excidendis; ac illustris etiam Iubilei dignitate insuper augustioribus factis.

Quod autem ad locum attinet, in quo æquinoctij sedes in Calendario statuenda sit, arbitratur Lilius sedem illā, vigesimo primo diei mensis Martij (hoc est circa vigesimum primum, & vigesimum secundum, cum ratione bisextilium sex horarum, duos semper amplecti dies æquinoctium necesse sit) maxime conuenire; ita quod cæ

teris diebus omnibus, ac locis, huiusmodi sedes præferēda sit: proptea quod illam ipsam sedem, in concilio Nicæno, (cuius sit penitus habenda ratio) antiqui illi Patres ad id munus elegerunt. Ad æquinoctium ergo ibi collocandum, cum hac tempestate circa vndecimum Martij versetur diem, 10. dies ex anno illo, qui ad Calendarij restitutionē exequendam assumetur, demere opus erit, vt circa vigesimū primū et vigesimū secundum reperiri valeat. quemadmodum ad æquinoctium circa vigesimum quartū & vigesimū quintum dies Martij statuēdum, non 10. sed 14. dies, ex præfato anno oportet demere, vt a decimo et vndecimo diebus Martij, vbi nūc versatur, ad vigesimum quartum & vigesimum quintum reducatur. Verum, vt ingenue sententiam meam proferā, decentius eius sedes in vigesimo quinto die Martij (circa scilicet vigesimum quartum & vigesimum quintum) collocata cēseri posset; tum ob ipsius Christi Domini nostri reuerentiam, quod eo in terris vitam agente, in eo ipso die æquinoctium reperiebatur; tum etiā quod verni æquinoctij diem ad suam conceptionem elegerit, quemadmodum passim creditur. Atq; ob id non recte opinantur illi, qui Christi incarnatione in æquinoctio verno posita, eius natalem diem in solistitio hyemali ponunt. non. n. æquinoctium illud, atq; illud solistitium, ambo in aduentu Christi vigesimos quintos dies suorum mensium possidere poterant; sicut & hac tēpestate hyemale solistitium diem decimum Decembris non obtinet, possidente verno æquinoctio decimū diē Martij. restituit. n. hoc inæqualis Solis motus in Zodiaco. quippe qui, dum regulariter, atq; vniformiter mouetur in Eccentrico, modo tardior, modo celerior apparet in Zodiaco: celerrimus quidē circa solistitium hymale, ob eius tunc mansionem in Augis opposito, terræ propinquissimo; tardissimus vero circa æstiuum solistitiū, existens in ipso auge, remotissimus ab ipsa terra. Circa autem æquinoctia medio modo se habet. Si ergo Christus cōceptus fuit die vigesimo quinto Martij, vbi vernum æquinoctium reperiebatur, vt omnes

nes

nes ferè asserunt; in lucem vero editus vigesimo quinto Decembris die, vt tenet Ecclesia; profectò in solistitio non contigit eius ortus, sed tribus ferè diebus ante. Quamobrem non admodum tute asseuerant aliqui, quod si æquinoctium vernum in trigesimo primo die Martij collocaretur, singuli menses singula Zodiaci signa integra poßiderēt, atq; ob id solistitium hyemale circa calendas Ianuarias statueretur. quod ob iam dictas causas euenire nullo pacto posset. Cum elegerit ergo Christus ad sui ortum æquinoctij verni diem, non iniuria existimãdum est, aliquid mysticum, quod nos lateat, innuere illum voluisse; atq; ob id rem valde condecentem nos facturos, si sedem illam æquinoctio tribuamus, vt etiam ad sacrosanctum Resurrectionis pascha, inseruire poßit. Quin etiam hac ratione, festa omnia, tam immobilia, quam mobilia suo tēpore, quo contigerũt, celebrari contingeret. Huc accedit, quod tunc nunquam eueniret, nullam dominicam post diem octauum Epiphaniæ occurrere ante Septuagesimam, sicut nunc quandoq; euenit; ita quod diuinum officium dominicæ post octauã primæ, in qua Euãgelium de Nuptijs legitur, in quo miraculũ cõtinetur, quod in eodē die Epiphaniæ cõtigit, ommitti necesse sit, vt Septuagesimæ ratio habeatur. sed semper aliquæ Dominicæ, saltem vna, post octauum Epiphaniæ diem occurret ante Septuagesimam, atq; officium, & Euãgelium illud ommitti nõ erit necessarium. Nec (meo quidem iudicio) verendum est, nè (vt Lilius vereri videtur) aliqua reprehensione digni videamur, si sedis æquinoctio à concilio Nicæno traditæ, rationem nõ habeamus; cũ etiam & concilij illius Patres, eius diei, qui Christo in terris degente, æquinoctium continebat, rationē habendam esse nõ existimarint. sed, cum satis sibi videretur, si stabilem æquinoctio sedem largirentur, locum, in quo ea tempestate reperiebatur, quasi seipsum offerentem, & ante eorum oculos versantem, alijs sedibus prætulerunt. multo ergo magis nõ est nobis habenda ratio diei, æquinoctio, ab ea synodo destinati, dum huic diei, diem ab æquinoctio

Christi insignem redditum, præferimus. Neq; etiam me admodum mouet, quod forte aliquem mouere posset, canonem scilicet à præfata synodo, ad inueniendum singulis annis sanctum pascha, institutum, atq; decretum, nulla, quo ad æquinoctium attinet, si in vigesimo primo Martij die collocetur, verborum immutatione indigere, qua, alio in loco posito, indigeret: propterea quod immutatio vnius verbi, dum loco diei vigesimi primi, vigesimum quintum ponimus, nullius momenti, aut laboris esset, neq; vllam animi perturbationẽ pareret. Ob iam dictas ergo causas, illius sum opinionis, vt decẽtius ad vigesimum quartum & vigesimum quintum dies Martij, quã ad quemuis alium locũ, æquinoctium reducatur, atq; ibi firmũ statuatur, vbi Redemptore nostro in terris vitã agente, reperiebatur. quem quidem locum, constituit illi Cæsar in suo calendario, teste Columella in duodecimo libro, et alijs Authoribus quampluribus. Ad hæc accedit, quod cum ex illo anno, qui ad restitutionem calendarij faciendam destinabitur, 10 dies demere opus sit, vt ad vigesimũ primũ diem Martij redigatur æquinoctiũ; tunc, si illud a loco, vbi hac tempestate residet, nempe circa decimũ & vndecimum dies Martij, ad vigesimum primum & vigesimum secundum reducendum erit; illud sequetur absurdi, quod in eo ipso anno, feriarum ordinem in hebdomada, ita confundi necesse erit, vt ab vna feria ad longe distantem aliam, tribus in medio relictis, & ommissis ferijs, immediate per transeundum sit. Exempli gratia, ponamus quod in præsenti anno Domini 1578. initium restituendi calendarij sumẽdum sit; & 10. illos dies, quos ex anno demi oportet, completo Februario demere velimus, hoc est post vigesimum octauũ eius mensis diem, (in qua. n. anni parte hoc fieri contingat, quò ad sedem æquinoctio tribuendam attinet, nihil refert); tunc hoc supposito, cũ hoc anno dies vigesimus octauus Februarij Veneris dies sit, si 10. dies auferantur, dies, qui immediate sequetur, nõ erit primus dies Martij, Sabbati videlicet dies, sed vndecimus qui Martis est. atq; ob id

post

post Veneris diem, nulla alia feria interposita, ommissis scilicet sabbato, dominica, & secunda feria, Martis sequetur dies: quod quidem durum, & vehementer nouum videri poterit. Pari modo literarum, quas dominicales vocant, & in calendario dispositas habemus, confunderetur, ac perturbaretur ordo, atq; earum loca immutari in calendario oporteret. Nam in præfati anni exemplo, cũ postremus dies Februarij notetur litera C, ob insequentiũ 10. dierum ablationem. dies, qui post vigesimum octauum diem Februarij confestim sequetur, non erit primus Martij, in quo est posita litera D, sed vndecimus Martij dies, qui litera G, notatur; ac propterea post C, sequetur G, præter ordinem literarum dominicaliũ in calendario distributarũ. Ex iam dictis ergo sequitur, quod demptis 10. diebus, vel dies Martis, feria scilicet tertia, loco Sabbati, sextam feriam sequetur; vel litera G, loco ipsius D, assumẽda erit: & ob id literam dominicalem A. post peractam 10. dierum ablationem, non autẽ ipsam E, vsq; ad præfati anni 1578. finem, statuere necesse erit; quod mirifice nouum, & per quam durum, ac molestum videri posset. Patet igitur, quod ob dierũ 10. ex anno ablationem, in harum alteram innouationum, seu nouitatum incidere necesse est; vt scilicet; vel ab vna feria, quæcunq; illa sit, ad aliã per tres ferias ab illa distantem, tribus medijs intactis ommissis ferijs, (quemadmodum in præfato exemplo à die Veneris, ad diem Martis) immediate per transeundum sit; vel sit litera dominicalis immutanda, vt in præfato exemplo, literam dominicalem E, in A mutandam vidimus. vtræq; autẽ huiusmodi nouitates, atq; immutationes, nemini dubium esse arbitror, quin inter cunctas alias innouationes, quas in calendarij restitutione contingere necesse erit, duriores populorum auribus, ac molestiores videri queant. præsertim cum homines ipsi pro maiori parte, ita inueteratis consuetudinibus allici, ac detineri soleant, vt earum immutationes, ac noua tandem omnia, eorum perturbent aures, offendantq; mentes. Sed,

vt ad præfatas, quas modo diximus, innouationes, 10. dierũ ablationem insequentes, redeamus; eas manifeste euitabimus, si æquinoctium ad vigesimum quintum Martij diem reduxerimus. Siquidem, quia 14. dies tunc ex anno eximendi essent, duas integras hebdomadas exacte continentes; huiusmodi ablatio ordinem feriarum, aut literarum dominicalium perturbare, aut confusionem aliquã circa eas, afferre nequiret. Exempligratia, si ponatur præsens annus 1578. ad restitutionem calendarij destinatus, ac 14. demendos ex anno dies, completo Februario, post vigesimum octauũ videlicet eius diem, demere velimus; tunc hoc supposito, cum hoc anno vigesimus octauus Februarij dies, Veneris dies sit, demptis 14. diebus, sequens dies non erit Martij dies primus, Sabbati videlicet dies, sed quintus decimus, qui itidẽ Sabbati dies erit, atq; ob id post diem Veneris, Sabbatũ habebimus, veluti feriarũ ordo postulat. Quod autem ad literas dominicales attinet, absq; vlla earũ immutatione, cum tam primus, quam quintus decimus dies Martij, eadem notetur litera D, toto anno litera dominicalis permanebit E, vt cuilibet recte supputanti manifestum esse potest. Quod autẽ hæc ratio, atq; consideratio, nequaquam negligenda sit, ex hoc potissimũ patere posse arbitror, quod in cõcilio Basiliensi ob eamdem causam ostensum fuit, optimum fore, si æquinoctium a decimo & vndecimo diebus Martij, vbi tunc reperiebatur, non ad vigesimumprimum diem Martij, 10. vel 11. dierum ablatione, sed potius ad decimum septimum, septem diebus demptis, reduceretur. nam illorũ 11. dierum ablationem, feriarum, ac literarum dominicalium perturbationem, ob causas, quas & nos superius adduximus, allaturã agnoscebant. Si vero 7. dumtaxat eximerentur ex anno dies, præfata perturbatio non contingeret: propterea quod constante hebdomada ex 7. diebus, eadem dominicalis litera, eadẽq; feria, tam decimo diei Martij, quam decimo septimo quadrare potest; quemadmodum etiam in ablatione 14. dierum, duas integras hebdomadas conti-

continentium, idem contingeret, vt superius ostensum est. Asserit autem Ioannes Lucidus à præfata Basiliensi synodo, huiusmodi opinionem, eiusq; causas, fuisse mirifice laudatas. Sed obijcere forte, quamuis leuiter, posset quis. quoniam, cum stante æquinoctio circa vigesimum quartum & vigesimumquintum dies Martij, quandoq; contingere posset festum sanctorum Iacobi, & Philippi, quod prima die Maij celebratur, in ipsis Paschatis diebus, in tertio scilicet, tunc non admodum congrua huius festi translatio videretur. Verum hæc obiectio modici ponderis est. nam ex canone, quē sequitur Ecclesia, quandoq; Diui Marci festum in ipsum met paschatis primum diem incidit, quod tamen transfertur post octauam. quamuis autē diui Marci festum à festo diuorum Iacobi, & Philippi, nobilitate, ac dignitate superari manifestum sit; potest tamē iuxta præfatum canonem euenire, vt præfatorum Apostolorum festum, octauum paschatis attingat diem, & nihilominus transfertur. Aliquantulum forte validior esset obiectio de festo sanctißimi Corporis Christi. posset. n. hoc festum cōtingere in vigilia diuorum Petri, & Pauli, in die videlicet vigesimo octauo Iunij: in quo quidē die, vel vigiliam præfatorum Apostolorum nos ommittere oporteret, vel illam in tam solemni Corporis Christi festo, ieiunantes obseruare. quorum vtrumq; absurdum videri debet. Sed hæc etiā obiectio nequaquā me perturbat. si. n. dies ipse dominicus vigiliam excludit, cur non, & etiam magis, celeberrimam festiuitatem Christi corporis, idem facere fas non erit, vigilia retrorsum ducta ad vigesimū septimū diē Iunij? præsertim si Pōtificis Max. dispēsatione concedatur. Præterea ex hoc non modicam vtilitatem, quo ad earum diuina officia, Dominicæ ipsæ post octauum Epiphaniæ diem occurrentes, consequerētur. nam quoniam primus paschalis terminus tunc in vigesimo quinto die Martij, & non in vigesimoprimo, vbi nunc residet, figeretur; idcirco primus etiam Septuagesimæ terminus vigesimum primum diem Ianuarij, & nō decimumseptimū,

vt modo obtinet, obtineret. atq; ob id, quemadmodum infimum pascha vigesimum sextum diem Martij posideret, & non vigesimũ secundum, vt modo posidet; ita etiam infima Septuagesima in vigesimo secundo die Ianuarij locum haberet, & non in decimo octauo in quo hodiernum locum habet.

Quin etiam, quoniam infimus paschalis terminus vigesimũ quintũ diem Martij, tunc (vt diximus) obtineret; ac propterea infimũ pascha in vigesimo sexto locum haberet; ex hoc sequeretur Annunciationem Beatæ Virginis in diem ipsum Paschatis nunquam incidere, nec post Pascha.

Circa modum autem, & formam auferendi præfatos, vel 10. vel 14. ex anno dies, ipsi Lilio non penitus adhæreo, qui modum illũ, tanquam conuenientiorem eligit, vt scilicet in 40. consequẽtium annorum spatio, (si 10. dies auferendi sunt, vt illi videtur) 10. illorum bisextiles anni, communes efficiantur: si vero 14. dies demẽdi sint, in 56. consequentium annorum spatio, 14. eorum bisextiles anni, communes constituantur. Ego vero commodiorem, ac populis ipsis gratiorem, demẽdorum horum ex anno dierum rationẽ, et formam fore arbitror, si adeo prolixa per tot annos innouatione, atq; eius expectandæ tædio, liberarentur. minus. n. nouũ, minusq; extraneum, ac durum illis videri poterit, si, dum dies illos, vel 10. vel 14. vnà simul omnes, ex restitutionis demantur anno, totam huiusce rei nouitatem, vno potius absorbeant haustu, quam si paulatim sorbillare cogantur. Quare Ioannes Lucidus, postea quã huiusmodi regulæ, & modi mentionem fecit, non potuit illum non negligere, seu non respuere, aut saltem approbare. atq; idem ferè de Stoflerino in prop. 39. modum illum quamuis non respuente, cõtra illum tamen arguente, dicendum est.

Quod autem ad eam anni partẽ spectat, in qua huiuscemodi dierum ablatio commodius, atq; decentius fieri debeat; quamuis, si sola reducendi æquinoctij ad sedem quam volumus, ratio habẽda sit,

nihil referat, quo anni mense, mensisq; die, id cõtingat fieri, ac quacunq; parte anni fiat, æquinoctium ad vigesimum primũ diẽ Martij, si decem demantur dies, necessario reducatur; ad vigesimũquintum vero, si dies 14. auferantur, atq; ob id forte Lilius liberã huiusmodi electionem relinquere cuiusuis arbitrio videatur, quasi nihil penitus, & absolute (vt ita dicam) qua anni parte fiat, referre putet: nihilominus, tametsi quo ad æquinoctij sedem collocãdam, nihil id, vt iam dixi, referat; nil tamen id penitus, & simpliciter referre, negandum arbitror; quippe qui festorum dierum in calendario existentium, hac in re non negligendam esse rationem censeo. rationi. n. consentaneum, meo quidem iudicio, videri potest, in illa anni parte ablationem dierum illorum fieri, in qua festum aliquod, aut duplex, aut semiduplex, aut tãdem simplex, vna cum ipsis ablatis diebus, non contingat in eo anno tolli. Quoniam autem, si diligenter totum calendariũ perlustrabimus, nullum alium calendarij locum, in quo id contingere queat inueniemus, nisi vigesimũquintum, vigesimum sextum, aut vigesimum septimũ diem Martij; post quos quidem dies poterunt, vel 10. vel 14. dies demi, nullo ex calendario ablato festo, vt manifestũ est; idcirco huiusmodi locum anni, verbigratia, mea quidem sentẽtia vigesimumquintum Martij diem, ad præfatos dies eximendos, non absq; ratione, cunctis alijs anni partibus, præferendum esse, videri potest. Quare in hoc merẽtur laudem Hebræi, qui, siqui dies anno addendi erãt, aut subtrahendi, duos ad hoc munus elegerũt menses; illos videlicet, in quibus nulla legis festa celebrarentur, octauum scilicet, & nonum: quibus duntaxat dies illi inserebantur, aut auferebantur. nolebãt. n. dierum ablatione, vel additione festa mensium impedire, aut perturbare. Optimum ergo erit, si diligentiam adhibuerimus, nè vnà cum diebus, ab anno restitutionis calendarij eximendis, festum aliquod amoueatur. Sed dicet forte aliquis, quod tametsi demptis cõfestim post vigesimũquintũ diẽ Martij, ex restitutionis anno diebus 14.

nullius

nullius Sancti festum contingat remoueri; remouebuntur tamen quadragesimales, aut paschales dies: quod quidem absurdius videri potest, quam si Sanctorum festa remoueantur. Verum hæc obiectio nullius ponderis existimari potest. nam, quoniam quadragesimales, & paschales, ac aliorum mobilium festorum dies, certis, ac statis mensis diebus non sunt affixi, quemadmodum immobilia affiguntur festa, sed à prima lunatione pendent, quæ nobis pascha, atq; ob id cætera etiam mobilia festa, consequenter affert; propterea ex dierum ablatione in præfato loco, hoc est post vigesimũquintum diem Martij, nihil detrimenti, quadragesimales, aut paschales dies pati possunt. qui. n. ex illis præcedunt ablatos dies, cum ijs, qui succedunt, aut remanent post ablatos, continua serie coniungũtur. Exempligratia si in anno, qui restituendo calendario destinabitur, erit vigesimus quintus dies Martij, Palmarum dies, atq; ob id vigesimus sextus erit feria secunda maioris hebdomadæ, tunc si post vigesimumquintum diem, 14. auferentur dies, feria secũda maioris hebdomadæ, quæ sequetur vigesimumquintum diem, nonũ Aprilis diem obtinebit, cæteriq; sequentur dies, vt expostulabit eorum ratio, & ordo, nullo accepto detrimento. At si forte contingeret ita in anno restitutionis calendarij differri pascha, vt demptis illis diebus, attingeret mensem Maij; nullum ob id diuinorum officiorum ratio, ac forma, detrimentum, aut impedimentũ acciperet; nec Missale ipsum, aut Breuiariũ alicui immutationi subijceretur. festorum. n. translationes, cõmemorationes, ac cõcurrentiæ, iuxta regulas in Missalibus, & in Breuiarijs positas, eodem modo inseruire tunc nobis possent, quemadmodum nunc inseruiunt.

Hæc pauca sunt; quæ circa Lilij compendium in ijs, quem tantummodo ad æquinoctij sedem, eiusq; firmitudinem, ac reductionẽ pertinent, in mentem mihi venire contigit; & quæ mandatis tuis (Serenis. Magne Dux) obtemperandi gratia, in medium afferre volui. Reliquum est modo, anteaquam ad ea, quæ ad Lunam pertinent,

tinent, accedamus, vt illud maxime animaduertamus; quod, si ad stabilem æquinoctio sedem statuendam, quolibet certo numero annorũ, vel 134. vt Lilio videtur, vel 120. vt Stoflerino, aut 100. vt mea fert opinio, aut quolibet tandem annorum numero; eximere velimus ex anno diem, annum videlicet communem ex bisextili statuentes; illud, si aliquod remedium non adhibebitur, sequetur inconueniens, vt Cyclus solaris literas dominicales continens, cuius nunc cum Ecclesia vsum sequimur, quasi perpetuum existimãtes; non parum accipiat detrimenti, ac perpetuitate exuatur sua. atq; ob id literarum etiam dominicalium, in calendario, ad dominicos dies indicandos, dispositarum, confundatur ordo. Atqui, vt quod diximus, melius ac facilius percipi poßit, nõ erit ab re, si pauca quædam, quasi præfationis loco, de hoc solari Cyclo, cuius vsum sequuta est Ecclesia, & adhuc sequitur, disseruerimus. Cum Ecclesia partitionem illam temporis receperit, qua non tantum in annos, et mẽses diuiditur, sed etiam in hebdomadas, septẽ & illas, complectentes dies, feriarum nomine nuncupatos; quarum feriarum prima, tãquam diuino cultui mancipata, dominici diei nomen sortita est, vt dominicæ Resurrectionis memoriam secum ferret; fuerũt hac de causa 7. diebus hebdomadæ, 7. priores alphabeti literæ destinatæ, ac in calendario suo ordine septem, post septem dispositæ per totum annum. Nè autem sex integræ illæ horæ, quas annum, vltra 365. dies continere, & Iulius Cæsar, & ipsa etiam Nicæna synodus existimarunt, dum quarto quoq; anno simul iunctæ diem integrum efficiunt, propterea procedere vlterius æquinoctium paulatim cogerent in calendario; hanc ob causam, vt huic progressui remedium adhiberetur, institutũ fuit, vt cuilibet quarto anno dies vnus adderetur. Additioni autem huiusmodi, aliquas ob causas, quas huic negocio necessarium non est referre, Macrobiusq; late exponit; vigesimumquartum diem Februarij, sextum videlicet ante calendas Martias, destinarũt: vnde bisexti est ortum nomen; à quo annus,

huiusmodi die auctus, bisextilis est nuncupatus. Quare in eo anno, cui dies est addendus, bis præfatum vigesimumquartum Februarij diem assumere opus est; ac propterea literam huic diei appositã, nempe F, duobus inseruire diebus oportebit. Si igitur illam continget dominicalem esse, tunc, non solum diem dominicum, priorem scilicet, ostensura est, sed etiam posteriorem ostendet pro secunda feria. quo fit, vt sequens litera dominicalis, non amplius sit F, sed E, quæ per totum dehinc annum vsq; ad calcem erit permansura. insequentis vero anni sit D, & non E, quemadmodum cõtigisset, si præcedens annus vno die auctus non fuisset: quod de cæteris etiam, qui sequuntur annis est dicendum. Quemlibet igitur bisextilem annum duas, vt vidimus, habere literas dominicales necesse est; vnã scilicet vsq; ad sextum cal. Martias, nempe vigesimũquartum diem Februarij; reliquam vero ab hac die vsq; ad calcem anni. Quamobrem, cũ Cyclus solaris 28. annorum, cuius superius mentionem fecimus, tãquam regula, & adminiculum ad facillime reperiẽdam cuiuslibet anni dominicalem literam, vel vnam, vel duas, prout qualitas anni, vel communis, vel bisextilis poscit, inuentus sit; propterea necesse fuit, vt ita præfatus cyclus cõstitueretur, ac construeretur, vt iuxta quartum quemq; ipsius numerum, siue locum, binæ ponerentur literæ, quarum altera priori anni illius parti, cuius anni essent dominicales literæ, vsq; scilicet ad vigesimum quartum diem Februarij, inseruiret; reliqua vero deinceps vsq; ad anni exitum. iuxta vero cæteros eius cycli numeros, siue locos, singulæ siue vnicæ tantum literæ apponerentur.

Verum enim vero priusquam vlterius procedam, illud, quasi aliquantisper digrediens, non omittam; quod, si nos circa bisexti locum in calendario, imitati fuissemus formam, ac ordinem à Cæsare traditum, atq; institutum; profecto literarum dominicalium, nec nõ numeri in diebus Februarij, alteratio necessaria nõ fuisset; dum in anno bisextili illas duplicamus, & hos additione vnius diei

ad 29 protendimus; sed 28. tantum dies mensis ille perpetuo posse disset; atq; vni tātū dominicali literæ, anni singuli, tam bisextiles, quam communes acquieuissent. Nam ex instituto Cæsaris vnus, et idem dies, in annis bisextilibus, nulla additione in diebus ante Martias calendas facta, bis appellabatur ante illas calendas sextus. ita quod nulla in Nonis, Idibus, atq; calendis in Februario mē se fiebat alteratio; sed vltra diem calendarum, videlicet mensis primum, quatuor Nonæ, octo Idus, & 16. dies ante cal. Martias, perpetuo in ipso permanebant. Quoniam igitur, quemadmodum Cæsar menses distinctos, atq; diuisos habuit in Nonas, Idus, & Calendas; nos illos paritimur in hebdomadas, & in hebdomadarū ferias; idcirco si nos in numero dierum, ac feriarum, diem illum nō poneremus, qui in anno bisextili additur; sed bis illū nomine vnius, & eiusdem feriæ, & vnius, & eiusdem denominationis numeri appellaremus; bis, exempligratia, vigesimumquartum Februarij diē & bis diem Martis, vel Iouis, vel alterius feriæ nominantes; sicuti Cæsar bis eundem Calendarium numerū, videlicet sextum repetebat; illud profecto ex hoc contigisset, quod Februarius semper 28. dierum numerum possedisset, et literam dominicalem post vigesimū quartum Februarij diem, commutari non oportuisset; atq; ob id simplicissimus, ex 7. videlicet tantum literis, totidemq; annorum numeris constans, solaris Cyclus, ad literas dominicales indicādas, extitisset. nos etiam non tam laboraremus modo pro hoc nostro solari cyclo, ad restitutionem calendarij coaptando, quemadmodum laboramus. Occasione huius bisexti, illud etiam non silebo, quod ansa sumpta ab inæqualitate motus Solis, qui modo celerius, modo tardius moueri apparet in Zodiaco, prout in eminentiori, aut depressiori loco existit in suo Eccentrico; posset quis forte dubitare, cur diei addendo in anno bisextili, destinatus fuerit locus, non longe ab æquinoctio verno positus, nempe vigesimusquartus dies Februarij; & non potius iuxta æstiuum solistitium, quando Sol in Auge

sui Eccentrici existens, remotissimus ab ipsa terra, tardissime mouetur in Zodiaco. sed econtra circa æquinoctium in longitudinibus medijs Eccentrici, vbi terræ proximior, quam in auge, velociorem etiam, quam in auge ostendit motum in Zodiaco. nam, cum ob præfatam Solis tarditatem, breuiores sint dies naturales in æstiuo solistitio, quam in quauis alia parte anni; tanto ob id minor in intercalatione bisextilis diei continget error, quanto minor erit ille dies. Huic dubitationi hoc modo satisfieri posse arbitror, nempe si dicamus, quod forte Cæsari, qui bisextum in Februario collocauit, non innotuerat adhuc Eccentricus orbis solis, à quo huiusmodi inæqualitas solaris motus, primarium ortum habet. Aut maiorem habendam sibi rationem esse vltimi mẽsis, quam illius inæqualitatis, existimauit. Videri. n. poterat admodum condecens, vt si quid anno addendum esset, vltimo mensi destinari oporteret. quemadmodũ Hebræi ipsi obseruabant in annis Embolismicis, dum mensem embolismicum post duodecimum mensem, apud eos etiam vltimũ, addebant, atq; interserebant. Cur autem finem mensis, postremum scilicet diem ad id non elegerit, sed vigesimum quartum diem, causas quamplures affert Macrobius, quas modo superuacaneũ esset recensere. Sed aliquis forte adhuc instans dubitabit, cur saltem nos ipsi, præfatæ solaris motus inæqualitatis rationem non habeamus, ac bisextum ad mensem Iunium, in quo hac tempestate solistitium æstiuum habemus, nõ transtulimus? Ad hoc respondere possumus nos ab hoc opere supersedisse; proptereaquod non tanti faciendã esse huiusmodi differentiam arbitrati sumus, vt illius rationem habere operæpretium fuisse duxerimus; quippe quæ admodum modicã horæ partem, ac ferè non sensibilem continet. minimus. n. naturalis dies anni à maximo, vix ducentesima vigesima quinta horæ vnius parte superatur.

Sed (vt ad solarem Cyclum, vnde facta est digressio, redeamus) componitur hic cyclus ex 28. numeris, quia totidem ad hoc penitus

satis sunt, vt quælibet præfatarum dominicalium literarũ, cunctas in cyclo varietates consequi valeat, quæ sibi contingere possunt. Scire. n. opus est quamlibet illarum quadrupliciter, idest quadruplici situ collocari in cyclo posse; videlicet aut pro ipso anno bisextili, aut tertiam ante illum, aut secundam, aut primam. Cum igitur septẽ sint literæ, & earũ quælibet, quadrupliciter in cyclo situari poßit, vt dictum est, si quatuor in septem ducamus, proculdubio 28. efficiemus. ita quod si completo semel, & iterum 28. annorum cyclo, fiet itidem iterum, et iterum ad cycli initium regressus, eadem cycli semper dispositio reperiri, & idem vsus admitti semper poterit. Ob hanc ergo eorundem suorum numerorum, ac literarum suarũ perpetuam reiterationem, ac replicationem, Cyclus hic non ab re nuncupatus est Cyclus, siue circulus: atq; à quampluribus Missalium, & Breuiariorum impressoribus, sub forma, & figura circuli, dispositus, & descriptus fuit. tametsi nõ pauciores alij, extensam directamq; formam ei tribuerint, & tribuant. & hoc etiam non ab re; cum hac quoque ratione, ac forma in directum dispositus, ideo circulus dici queat, quod vndecunq; initium sumatur, ad eundem locum, vnde initium sumptum fuerit, completis, 28. annis, regredientes, eamdem semper dispositionem, ac ordinem (quæ circuli cõditio, ac natura est) iterum, & iterũ reiterando, reperiemus. Ex quo sequitur, quod Bibliopolæ, librorumq; Impressores varia huic Cyclo principia tribuere solent; quippe qui in arbitrio ipsorum meet poni arbitrantur, quamcumq; illarum 7. literarũ velint, in cycli principio constituere, atq; ab illa ordiri cyclum. literã autem illam pro initio collocare solent, quæ anno Domini, tempore impreßionis, currenti, pro dominicali competit. in meo. n. Breuiario, exempligratia, apud Iunctas Venetijs impresso, primus locus cycli duabus literis, D, C, tribuitur, quas ambas dominicales habet annus Domini 1568. quo scilicet anno impreßũ est. Meum itidem Missale à Varisco anno Domini 1570. sub prælo positum, cyclum so-

larem habet, cuius initium obtinet litera A, ante annum bisextilem secunda, eidem videlicet anno 1570. pro dominicali cõpetens. hoc idem in alijs Missalibus, et Breuiarijs videre possumus. Nostri arbitrij igitur, & voluntatis est cyclo solari principium, quod magis libeat destinare. Solaris autem, vt Ioannes Lucidus asseuerat, appellatur hic cyclus, propterea quod, cũ ad literas, dominicos dies, ostendentes, inueniendas, constitutus fuerit; dies autem dominici, dies Solis sint, atq; ob id litteræ in cyclo positæ, itidem solares dici queant; nõ immerito & cyclus ipse, solaris nũcupari potest. Hactenus igitur declarauimus naturam, formam, vsum, ordinem, effectusq; solaris cycli, quo elapsis temporibus vsa est Ecclesia, & modo vtitur: quippe quæ perennem illum, eiusq; vsum, cuius auxilio cuiuslibet anni litera dominicalis perpetuo innotescere poßit, existimare videtur.

Redeundum est modo ad id, cuius gratia, quædam de cyclo solari præfanda nobis esse, superius asseruimus. Dico igitur, quod, si ad firmandam æquinoctij sedem voluerimus, certo quoq; annorum spatio diem vnum ex anno demere, communem illum ex bisextili faciẽtes; necessarium erit cyclum solarem non modicum, hanc ob causã, detrimentũ pati; atq; ob id literas, ad ostendendos dominicos dies, in calendario positas, confusione quadam obuolui, & earum ordinem perturbari. Nam eo anno, qui ex bisextili communis euadit, litera F, ad vigesimumquartum Februarij diem apposita, non necessario duos dies respicere, illisq; inseruire cogitur; ac propterea si continget eius anni dominicalem literam esse F; proculdubio diem ipsum vigesimumquartum dominicum esse demonstrabit; atq; ob id vigesimus quintus dies, erit secunda feria, litera G, notatus; ac propterea proximus, qui sequetur dominicus dies, videlicet tertius dies Martij, eamdem literam dominicalem habebit, ipsam videlicet F; atq; eamdem totus deinceps vsq; ad sui exitum, præfatus seruabit annus. Si autem bisextilis fuisset annus ille, profecto post vigesimum

gesimumquartum Februarij diem, vsq; ad calcem anni, loco literæ dominicalis F, literā E, habuisset. Eodem modo præfatus annus, qui ex bisextili cōmunis fiet, duas in cyclo solari literas, quas posceret si bisextilis esset, videlicet F, E, obtinere nullo pacto poterit, sed tantummodo solam F, seruata, E, loco ipsius, D, pro sequenti anno; qui ipsam D, dominicalem habuisset, si præcedens annus bisextilis permansisset. Tale igitur quale declarauimus, absurdum sequi necesse erit, si diem illum ex anno eximere velimus, quem ad sedem firmandam æquinoctij, certo quoq; annorum spatio, quolibet scilicet centesimo anno, vt mea fert opinio, eximēdum esse superius asseruimus. Ut igitur huic malo medelam aliquā afferamus, atq; huiusmodi difficultatem superare conemur, animaduertere primū oportet, quod cum intra cētum annos, tres claudantur, ac comprehendantur cycli solares integri, cum suis bisextilibus annis, ter videlicet 28. anni, qui simul iuncti 84. annos conficiunt; ac præterea quædam pars cycli, 16. anni scilicet, qui cum suis bisextilibus annis reliqui sunt vsq; ad cētesimum annum, qui ex bisextili, communis esse debet: ex hoc inferre possumus, præfati solaris cycli vsū, quem sequitur Ecclesia, in præfatorum centum annorū spatio, per tres scilicet cyclos integros, & quarti cycli partem, 16. continentem annos, vsq; ad centesimum videlicet annum, absq; vllo impedimento inseruire posse. in cētesimo tamen anno, qui sextus decimus quarti cycli erit, cum ex bisextili efficiendus sit communis, cyclum ipsum interrumpi, eiusq; ordinē perturbari necesse fuerit; dum ex duabus literis ad præfatum annum appositis, dempta secunda, prima tantum pro dominicali totius anni remanebit, seruata litera secunda pro dominicali litera sequentis anni, qui erit tertius ante sequentem bisextilem annum. Quærenda ergo in cyclo erit huiusmodi litera, quæ situ tertia sit, hoc est tertium locum obtinens, ante sequentis bisexti locum. atq; ab ipsa sumendum erit principium in cyclo pro alijs sequentibus centum annis; quorum primus literam il

lam

lam obtinebit. deinceps vero eadem via procedendum erit in secundis centum annis, qua procedere docuimus in primis: eodem itidem in alijs quibuslibet centũ annis sequẽtibus ordine perpetuo seruato.

Clare ergo patet solarem cyclum non posse, cum suis locis bisextilibus, perpetuo incolumem seruari, cum centesimo quoq; anno præfatum detrimentum cogatur pati: propterea quod dum cõmunem ipsum ex bisextili facimus, ambæ illæ literæ, quas ibi cyclus habet, inseruire illi anno nequeunt, sed prima tantũ, seruata secunda pro initio sequentium centum annorum, vt paulo superius dictum est.

Itaq; manifestum ex iam dictis esse potest, quod tametsi huiusmodi solaris cyclus, si permaneat perpetuo incolumis, atq; ab omni detrimento liber, nobis inseruire nequeat; adhibita tamen pro singulis centenis annis medela, ac regula, quã posuimus, proculdubio non inutilis esse poterit. Nonnullorum exemplorũ auxilio, facilius forte percipientur quæ diximus. atq; vt cõmodius id facere queam, describam prius, & hic apponam præfatum cyclum solarem; eiusq; initium (cum hoc facere in cuiusq; arbitrio positũ esse dixerimus) ab illa litera sumam, quam annus Domini 1581. dominicalẽ sibi vendicabit. Nam anteaquam executioni mãdetur restitutio calendarij, expectandæ sunt opiniones, ac sentẽtiæ quas circa Lilij compendium confectas, atq; calamo exaratas, Romam ad Summum Pontificem Christiani Principes missuri sunt. quorum plurimi per quam longißime, ac multorum dierum, ac etiam mensium itineribus ab vrbe distant. Præterea Romæ dehinc, ea, quæ missa fuerint exactißimo examine, diligentiq; discußione, ac scrutinio, à peritißimis viris, perpendenda, ac consyderanda sunt; vt tandem potissima opinio eligatur, ac perfecta calendarij restitutio concludatur, ac statuatur. Postquam autem conclusa virorum illorum iudicio, ac dehinc Summi Pontificis sententia, ac voluntate, decreta fuerit; eius publicationi, & promulgationi non modicũ tẽporis spatiũ largiri necesse erit, vt Christianis omnibus, prius innotescere valeat,

quam

quam executioni detur. Cum igitur ob tot causas, maximum labo rem, ac ingens studium poscentes, longo temporis interuallo negocium hoc indigere videam, priusquam initium executionis, atq; sui vsus sumat; ego non leui, ni fallor, coniectura ductus, huiusmodi interuallum non minus, aut breuius tribus, aut fortasse quatuor annorum spatio, necessario futurum arbitror. Quamobrem in mente mea, vt præfatis coniecturis assequi potui, annũ Domini 1580. restitutioni calẽdarij destinaui. cui quidem anno innouationes, ac immutationes omnes, quæ huic negocio necessariæ existimabũtur, destinandæ sunt, vt sequens dehinc annus 1581. restituto calendario primus vti poßit. inter cæteras autem innouationes, seu nouitates, à præfato restitutionis anno, 14. dies, vel 10. vel cuiusuis alterius numeri dies, iuxta scilicet sententiã, in præfata opinionũ discußione, præ valituram, eximendi sunt. Nec cuiquam mirum videri debet præfatam me animo restituendi calendarij dilationem cõcepisse, ad annum videlicet Domini 1580. nam præter causas, & coniecturas, quas adduximus, accedit etiam aliorum, qui de ea pertractarunt, aut pertractant, exemplum. Quorum vnus etiam est ipse Lilius: quippe qui approbare admodum videtur calẽdariũ, nouam formam, quam ille ipse constituit, atq; excogitauit, nõ plene, ac decenter habiturũ ante annum Domini 1620. huic. n. formationi, atq; restitutioni spatium 40 annorum tribuit, vt dum 10. illorum bisextiles anni, ex bisextibilibus cõmunes fiunt, 10. ob id dierum ad firmandum æquinoctium, calendariumq; restituendum, necessaria ablatio compleatur. quod proculdubio nõ mediocre tædium, atq; molestiam, ob tam diuturnam exitus expectationẽ, hominum mentibus allaturum existimandum est. ea vero, quam nos ponimus dilatio; præterquam quod, ob quas attulimus causas necessaria videri potest, expectationem trium annorum, valde molestam nequaquam faciet; præsertim si plenam, ac integram restitutionem, spatium vnius anni non transgressuram fore, non igno-

rabitur. Supponimus igitur, vt diximus, annum Domini 1580. ad calendarij reductionem, nouamq; illi formam imponendam, destinandum fore: ac propterea annus Domini 1581, qui post illum illico sequetur, primus erit annus post calendarium restitutũ: atq; etiam ob id ad executionem factæ restitutionis primus; & propterea itidem primus centum illorum annorum, quos, vt superius diximus, satis esse arbitratus sum, ad eximendum, pro firmitudine, ac stabilitate æquinoctij, ab eorum centesimo, ex bisextili communi facto, diem vnum; eodem in centenis sequentibus annis, seruato ordine, veluti superius docuimus, & explicuimus.

Verum enimuero si præfatam restitutionem executioni, vel citius, vel serius mandari contigerit, quam putamus, atq; ob id annus, annũ 1580. aut præcedens, aut subsequens, restitutioni præfatæ destinabitur; tunc vnicuiq; solarem cyclum ab anno, restitutionis annum, insequente, (quicunq; ille fuerit) initium sumentem, constituere, ac quæcunque de nostro cyclo, aut diximus, aut dicemus, suo cyclo coaptare, ac tandem exemplis, nostrorum exemplorum similibus, illustrare, facillimum erit.

Cyclus solaris, initium sumens à litera Dominicali, anno Domini 1581. competente.

1.	A.	15.	E.
2.	G.	16.	D.C.
3.	F.	17.	B.
4.	E.D.	18.	A.
5.	C.	19.	G.
6.	B.	20.	F.E.
7.	A.	21.	D.
8.	G.F.	22.	C.
9.	E.	23.	B.
10.	D.	24.	A.G.
11.	C.	25.	F.
12.	B.A.	26.	E.
13.	G.	27.	D.
14.	F.	28.	C.B.

Aliquorum igitur exemplorũ adminiculo, præfati cycli auxilio adhibito, clarior, & manifestior reddetur regula, series, & dispositio, à nobis superius ad eius vsum posita. Ponamus igitur, quod annus Domini 1581. ad agrediendam executionem, & vsum restituti calendarij, in præcedenti anno, nempe 1580. factæ, destinetur, atq; ob id sit centum illorum annorum primus, quos satis esse diximus ad hoc, vt, dum quilibet centesimus annus ex bisextili cõmunis euadit, æquinoctij sedes perpetuo stabilis permaneat. Hoc si ponamus, tunc in principio descripti nostri cycli, cum eius initium præfato anno tribuerimus, eiusdem anni literam dominicalem inueniemus, A, situ, & ordine tertiam ante annum bisextilem. quia vero intra centum annos, tres cycli integri, 84. annos efficientes continentur, ac insuper quarti cycli portio quædam, 16. annos cõ-

tinens, vsq; ad centesimum scilicet annum tendens; idcirco poterit ipse cyclus cum suis bisextilibus annis, in toto præfatorum centum annorum interuallo, centesimo secluso, incolumis inseruire: donec centesimo ex bisextili communi facto, qui sextumdecimũ cycli numerum, siue locum, poßidet; ibi proculdubio cycli ordinem impediri, ac detrimentum pati, necesse erit, dum ex duabus literis, videlicet, D C, eo in loco collocatis, sola prima, scilicet D, pro dominicali totius anni assumenda fuerit; reliqua vero, nempe, C, pro dominicali subsequentis anni relinquẽda, situ, & ordine tertia ante sequentem bisextilem annum. qui quidem subseques annus, secundorum centum sequentium annorum primus erit, videlicet centesimus primus. Inquirenda igitur erit in cyclo litera C, eo situ posita, vt tertia in ordine sit, ante bisextilem sequentem annum. quam quidem in quinto cycli loco, hoc est sub numero 5 reperiemus, ac pro dominicali primi secundorum centum annorum, anni, accipiemus, anni videlicet centesimi primi. Ab huiusmodi vero litera, initio denuo, sumpto, poterit cyclus cum suis bisextilibus annis, per tres integros cyclos, annos 84. complectentes, hoc est vsque ad centesimũ octuagesimumquartum annum, & quarti cycli portionem, 16. annos continentem, vsq; ad dugentesimum; ac, vt breuius dicam, in toto secundorum centum annorum interuallo, centesimo secluso, qui dugentesimus est; poterit, inquam, incolumis inseruire: donec dugentesimo, ex bisextili communi facto, qui vigesimum cycli locum possidet, ibi profecto cycli ordinem denuo impediri, ac detrimentũ pati oportebit, dum ex duabus literis, videlicet, F E, eo in loco positis, sola prima nempe F, pro dominicali totius dugentesimi anni assumenda erit. reliqua vero, videlicet, E, situ, & ordine tertia ante sequentem bisextilem annum, pro dominicali subsequentis anni, relinquenda, qui centum sequentium annorum primus erit, videlicet dugentesimus primus. Inuestiganda ergo erit in cyclo litera, E, eo situ posita, vt tertia in ordine sit ante bisextilem sequentem annũ; quam

quam quidem in nono cycli loco, hoc est sub numero 9. reperiemus, ac pro dominicali primi trecentorum annorum, anni, ho est anni dugentesimi primi, accipiemus.

Ab huiusmodi autem litera nouo iterum initio sumpto, poterit Cyclus cũ suis bisextilibus annis per tres integros cyclos, annos 84. efficientes, hoc est vsq; ad ducentesimum octuagesimum quartum annum, & quarti cycli portionem, 16. annos complectentem, vsq; ad trecentesimum, ac, vt expeditius dicam, in toto tertiorum centum annorum interuallo, centesimo excepto, qui trecentesimus est; poterit inquam incolumis inseruire; donec trecentesimo ex bisextili communi facto, qui vigesimum quartũ cycli locum obtinet; ibi proculdubio cycli ordinem denuo interrumpi, ac nocumẽtum pati opus erit; dum ex duabus literis, videlicet, A G, eo in loco positis, sola prima, nempe, A, pro dominicali totius trecentesimi anni, erit accipienda. reliqua vero, scilicet, G, situ, & ordine tertia ante sequẽtem bisextilem annum, pro dominicali subsequentis anni relinquẽda; qui quarti centennarij, hoc est, quartorum centum sequẽtium annorum primus erit, videlicet trecentesimus primus.

Quærenda igitur erit in cyclo litera, G, eo situ posita, vt tertia in ordine sit ante sequentem bisextilem annum: quam quidem in tertiodecimo cycli loco, hoc est sub numero 13. inueniemus, ac pro dominicali primi quartorum centum annorum, hoc est anni trecentesimi primi, assumemus. Et ab hac litera sumpto rursus initio, eodem ordine, & via, pro sequenti quarto centenario progredi poterimus. ac deinceps, nè in re iam iam manifesta longiorem sermonẽ protraham, de centum annis in centum annos, idem perpetuo prosequendi seruandus erit ordo.

Hactenus ergo vidimus, quemadmodum cyclus solaris, non solum annis bisextilibus perpetuo seruatis, veluti hucusq; seruati fuerunt, auxilio esse potest ad inueniendas literas dominicales in calendario; verum etiam si quemlibet centesimum annum, ex bisextili

communem faciemus, poterit, adhibito eo limitationis ordine, eaq; regula, quam addidimus, nobis ad hoc idem similiter inseruire. Ut autem facilior, ac expeditior reddatur vsus huiusce ordinis, ac regulæ, operæ pretium esse duxi, Tabulam quamdam perpetuã disponere, ac ordinare, pro centenis illis annis, qui post restitutionem calendarij (cui annum Domini 1580. coniecturis admodum verisimilibus ductus, destinaui) subsequuturi sunt. Quæ quidem tabula nostrum cycli solaris ordinem, atq; vsum longe faciliorem reddet; quippe quam, in præfati cycli auxilium, tamquam illi inseruituram, ordinauimus. Initium autem sumet hæc tabula ab anno primo, primorum centum annorum, post restitutum calendarium confestim insequentium, ab anno scilicet Domini 1581. Tabulam igitur ipsam prius describam; ac dehinc ipsius ordinẽ, & vsum declarabo, exemplisq; illustrabo.

Tabula in Cycli solaris auxilium confecta, atq; ordinata, pro literis dominicalibus annorum, qui centum post centum subsequentur post annum restitutionis Calendarij, quem supponimus fore annũ Domini 1580.

Numerus annorum.	LITERAE Dominicales.	Numerus Cycli ſolaris.
1	A. tertia ante biſextum.	1
29	A. tertia ante biſextum.	1
57	A. tertia ante biſextum.	1
85	A. tertia ante biſextum.	1
.100	D. Ex biſextili communis.	16
101	C. tertia ante biſextum.	5
129	C. tertia ante biſextum.	5
157	C. tertia ante biſextum.	5
185	C. tertia ante biſextum.	5
.200	F. ex biſextili communis.	20
201	E. tertia ante biſextum.	9
229	E. tertia ante biſextum.	9
257	E. tertia ante biſextum.	9
285	E. tertia ante biſextum.	9
.300	A. ex biſextili communis.	24
301	G. tertia ante biſextum.	13
329	G. tertia ante biſextum.	13
357	G. tertia ante biſextum.	13

Numerus annorum.	LITERAE Dominicales.	Numerus Cycli solaris.
385	G. tertia ante bisextum.	13
.400	C. ex bisextili commu nis.	28
401	B. tertia ante bisextum.	17
429	B. tertia ante bisextum.	17
457	B. tertia ante bisexium.	17
485	B. tertia ante bisextum.	17
.500	E. ex bisextili communis.	4
.501	D. tertia ante b sextum.	21
529	D. tertia ante bisextum.	21
557	D. tertia ante bisextum.	21
585	D. tertia ante bisext um.	21
.600	G. Ex bisextili communis.	8
601	F. tertia ante bisextum.	25
629	F. tertia ante bisextum.	25
657	F. tertia ante bisextum.	25
685	F. tertia ante bisextum.	25
.700	B. ex bisextili communis.	12

Hæc

Hæc Tabula tres claudit ordines, siue columnas. quæ autem in ipsis ordinibus cōtinētur, superiores eorum indicant inscriptiones. videlicet in primo ordine collocatur numerus annorum, qui post annum restitutionis calendarij (quem fore annum Domini 1580. *supposuimus) successuri sunt. Si tamen alium annum præfatæ restitutioni, Summus Pontifex destinauerit, à quolibet, etiam parũ erudito, nullo labore quam facillime poterit, immutandis immutatis, ipsi anno hæc tabula coaptari. Producitur autem hæc tabula vsq; ad annum septingētesimum: propterea quod post illum annũ, ad tabulæ principium iterum redeundum erit. ac eodem ordine per alios septingentos annos, hoc est vsq; ad* 1400, *progrediendum erit. quibus completis ad initium itidem tabulæ redeuntes, eadem via in tertijs septingentis annis procedemus, hoc est vsq; ad annum bis millesimum centesimum. Et idem deinceps erit perpetuo seruãdus ordo. In præfato autem primo tabulæ ordine singulos annos expansos non posuimus; propterea quod prolixa nimis euasisset tabula. poterit tamen singulis perpetuo inseruire, vt videbimus. In augumento, seu additione numerorum hũc ordinem satis commodum esse duxi, vt posita in primo loco vnitate pro primo anno, in proximo dehinc loco,* 28. *annorum numerus, qui integer cyclus est, vnitati adderetur, pariens numerum* 29. *huic autem alius* 28. *annorum cyclus apponeretur, producens numerum* 57. & *huic tãdem tertius* 28. *annorum cyclus iungeretur, conficiens numerum* 85. *itaquod, dum vnitati tres integri apponuntur cycli, tres insurgant numeri, nempe,* 29. 57 & 85. *tribus primis locis, post vnitatis locum, in tabula collocati: post. n. quamlibet integram reuolutionē cycli, eadem reperitur litera. in quinto autem loco, dum quarti cycli portionem,* 16. *annos complectentem addimus, centenarium numerum conficimus, ad quem vsq;, cyclus solaris cum suis annis bisextilibus, incolumis, vt superius ostendimus, inseruire potest. in centesimo autem anno, cum communis ex bisextili efficiendus sit,*

detrimentum patitur. Quæ diximus de primis centum annis, de cæteris etiam, hoc est de secundis centum annis, de tertijs, & sic deinceps, intelligenda sunt, vt melius percipi poterit, cum tabulæ vsum inferius explicabimus. In secundo autem tabulæ ordine positæ sunt literæ dominicales, numeris annorum, quos in primo ordine è regione habent, competentes. In hac autem literarum positione, ac distributione, duo animaduertenda sunt. quorum primum est, quod literæ centesimis annis respondentes, nõ ponuntur duplices, sed simplices, siue vnicæ: propterea quod anni centesimi non debent esse bisextiles, sed communes; atq; ob id cuiuslibet centesimi anni litera, vnica erit, quippe quæ toti anno eadem permanens, inseruire debet. Alterum autẽ quod animaduersione indiget, illud est, quod literæ dominicales in secundo tabulæ ordine collocatæ, vt numeris respondeant in primo ordine è regione illorum positis, exempligratia vnitati, ac numeris 29. 57. & 85. non solum in primis cẽtum annis, sed in alijs etiam centurijs; ita positæ sunt, vt in cycli solaris situ, tertiæ sint ante bisextilem annũ. sicut. n. diximus superius, quamlibet dominicalem literã, quadruplicem in cyclo solari, situm, atq; ordinem habere cõtingit: videlicet aut in anno bisextili, aut in tertio loco ante annũ bisextilem, aut in secundo, aut in primo. Quapropter quoniam Cycli nostri solaris, superius descripti initium, ob iam dictas causas, posuimus annum 1581. cuius litera dominicalis est A, tertia ante bisextum, propterea quod annus ille est tertius ante bisextilem; idcirco in secũdo literarum dominicalium tabulæ ordine, primo anno in fronte tabulæ tribuimus literam A, situ tertia ante annum bisextilem. Quoniam autem cyclorum integrorum, 28. annos continentium, additio, ad easdem met literas, eodem situ positas, redire cogit; idcirco eamdem eiusdem situs literam, annis, 1. 29. 57. & 85. apposiuimus: eumdemq; ordinem in sequentibus centurijs annorum sequuti sumus, vt in ipsa tabula videri potest. In tertio tabulæ ordine numeros solaris cycli collocauimus,

uimus, vt literæ in secundo ordine è regione positæ facilius in ipso cy clo reperiri valeant; ea moti causa, quæ statim innotescet, cum tabulæ vsum explanabimus. Eius ergo vsus est huiusmodi. Si post restitutionem calendarij, literam dominicalem alicuius anni, quicũque ille sit, inuenire, ac scire volumus, ante omnia ab eius anni numero subtrahendi sunt anni Domini 1580, quos præcedere supponimus executionem, & vsum restituti calendarij. qui autẽ ex præfata subtractione, reliquus erit numerus (qui quidem erit numerus anni, quem volumus) quærendus est in tabula. quem si inuenerimus, literam pro ipso dominicalem assumemus, è regione in secundo ordine collocatam. nec cum ipsa ad solarem cyclum recurrere opus erit, cum inuenerimus literam quam volebamus. At si præfatum numerum in tabula non inuenimus, tunc ex numeris in primo tabulæ ordine existentibus, assumendus erit proximior minor numerus; ac cum litera in secundo ordine è regione posita, sumpto etiam numero cycli, in tertio ordine è regione similiter posito, ad solarem cyclum accedentes, literam illam, in ipso inquiremus, & sub præfato ex tabula sumpto cycli numero, inueniemus. à quo, si in cyclo per insequentes cycli numeros, annos numerare ceperimus, donec progredientes, ad annum quem volumus peruenerimus, ibi literam eius anni dominicalem reperiemus. Exemplorum aliquorũ auxilio facilior forsitan, & clarior, & ob id perceptibilior, erit explanatio. Ponamus igitur, quod scire cupiamus literam dominicalem anni Domini 1680. Tũc ante omnia ab huiusmodi numero, subtrahemus annos Domini 1580, quorum vltimum conijcimus fore annum restitutionis calendarij. reliqui ergo post subtractionẽ erunt 100; quos in primo tabulæ ordine inquiremus. & quoniam ibi eos inueniemus, ideo absq; aliquo vsu solaris cycli, litera in secũdo ordine è regione reperta, videlicet, D, eius anni dominicalis erit, integro anno vsui futura; quippe qui ex bisextili erit communis. Si autem, alterius exempli gratia, literã dominicalem anni Domini

1714. habere voluerimus, tunc demptis ex hoc numero annis Domini 1580. remanentes annos 134. quæremus in primo ordine tabulæ, & quia ibi non existunt, proximiorem minorem numerũ inquiremus, quem esse reperiemus 129. ac literam è regione sibi in secundo ordine respondentem, esse, C, situ tertiam ante bisextum. quam in solari cyclo inquirẽtes, ac sub illo cycli numero, qui è regione eius literæ in tertio tabulæ ordine positus est, videlicet, quinque inueniẽtes; ab illo, eiusq; numero in tabula reperto, videlicet 129. per sequentes cycli numeros, annos numerare incipiemus, donec ad annum, quem volumus, nempe centesimum trigesimum quartum, peruentum fuerit; quem sub cycli numero 10. reperiemus, iuxta quem collocata est litera D, situ secunda ante bisextum, quæ dominicalis erit propositi anni 1714. qui cẽtesimus trigesimus quartus est super 1580. quam quidem dominicalem literam inuenire proposuimus. Addamus etiam & aliud exemplum, quò scilicet non ignorare velimus literã dominicalem anni Domini 2137. demptis igitur ex hoc numero annis 1580, reliquos 557. in primo tabulæ ordine inuestigabimus: & quia ibi eos inueniemus, idcirco absq; aliquo vsu, seu auxilio solaris cycli, literam in secũdo ordine è regione repertam, videlicet D, eius anni dominicalem habebimus. Aliud etiam exemplum, ad maiorem huiusce vsus tabulæ explicationem afferre non inutile erit. Esto igitur, quod scire cupiamus dominicalem literã anni Domini 2554. hoc posito, ante omnia subtrahẽdi sũt ab hoc numero anni 1580. reliqui vero, qui supersũt 974. in primo tabulæ ordine essent inquirendi. Verum cum ipsa tabula vltra 700. annos non protendatur, atq; ob id necesse sit ad ipsius caput, pro annis, annos præfatos 700. superantibus, denuo reuerti; ideo demptis ex annis 974, 700. annis, cum reliquis, videlice 274. tabulam ingrediemur; atq; ipsos in primo eius ordine inuestigabimus. & quia ibi non existunt, proximiorem minorem numerum, videlicet 257. assumemus; cui litera E, situ tertia ante

bisextum

bisextum in secundo ordine è regione respõdet. quam in solari cyclo inquirentes, ac sub illo cycli numero, qui è regione eius literæ, in tertio ordine positus est, videlicet, 9, inuenientes, ab ipsa, eiusq; numero, in primo ordine tabulæ reperto, nempe 257. per subsequentes cycli numeros, annos numerare incipiemus, donec ad annum, quem volumus dugentesimum septuagesimum quartum peruẽtum fuerit, quẽ sub cycli numero 26. reperiemus; sub quo collocata erit litera E, situ secunda ante bisextum, quam pro litera dominicali anni dugentesimi septuagesimi quarti habebimus; atq; ob id anni noningentesimi septuagesimi quarti, ac tamdem & propositi anni Domini 2554, qui noningẽtesimus septuagesimus quartus est supra 1580. quã quidem dominicalẽ literã proposuimus reperiẽdã.

Talis igitur, qualem declarauimus, est huius tabulæ nostræ vsus; quæ adminiculo cycli solaris, obnoxij tamen regulæ, ac limitationi, quibus illum astrinximus, poterit ad inueniendum literas dominicales quorumcumq; annorum, post restitutionem Ecclesiastici calendarij successurorum, mira facilitate, vt ex iam dictis colligi potest, inseruire. mutuum. n. auxilium solaris noster cyclus, & hæc nostra tabula, sibimet ipsis præstare valent. Verumtamen, si formam illam in vsu bisextilis anni, ab instituto Cæsaris ordine non dißimilem, vt diximus, sequeremur; qua bis vigesimum quartum Februarij diem, sub eadem litera F, ac sub eiusdem feriæ nomine, assumeremus, perageremusq; ; profecto vnicam tantũ literam dominicalem, quilibet annus, tam communis, quam bisextilis, obtineret: atq; ob id simplicißimus solaris Cyclus, ex septem tantum literis constitutus, ad dominicalem literam indagandam, inseruire posset: ac eius, ad calẽdarij restitutionẽ coaptandi, prouincia mihi, in præsentiarum obeunda non fuisset.

Hactenus circa æquinoctium (quod quidem Lilij compendij primum caput est) ea discußimus, ac doctioribus viris dinoscenda proposuimus, quæ in mentẽ, ab huiusmodi studiorũ genere, mirũ in mo

dũ à 25.annis, & amplius alienã, in præsentiarũ venire potuerũt.

Placet tamen, priusquam ad secundum eius compendij caput, accedamus. proferre, ac proponere in medium, difficultatẽ quamdam non modici momenti, doctorum virorum iudicijs perpẽdendam, ac tandem diluendam. Qui hactenus in restituendo calendario, atq; in noua forma illi tribuenda laborarunt, ferè omnes, quorũ scripta in manus meas deuenerunt; supposuerunt, ac pro comperto habuerunt, determinatam, ac certam quamdam anni solaris quantitatem dari; tametsi alij minorẽ, alij maiorem illam existimauerint. cui quantitati inhærentes, diligenti calculo cõputarunt, quis nam numerus annorum requiratur, vt ad firmãdam æquinoctij sedem, vnum diem ex anno eximere possimus. videlicet an id fieri possit in annis 120. vt Stoflerinus opinatur; an in 134, vt Alphonsus, atq; itidem Lilius; an in 106. vt arbitratur Albategnus: quem nos ferè sequuti, sex tamen ab illis abstulimus, centumq; pro illis recepimus; summos etiam viros in hoc sequuti, vt superius ostendimus; an tandem alius qui vis annorũ numerus. Verumenimuero quoniam huiusmodi ipsorum, & nostræ positioni, Astronomica doctrina à multis annis primariorum summorum Astronomorum iudicio recepta, & hac etiam tempestate vigens, opponi penitus videri potest; ruere ob id quicquid super hoc fundamento, vel ædificatũ ab alijs, vel à nobis constructum fuit, existimandum erit. Nam quoniam eximij illi Astronomi, qui Hipparcho, & Ptolemæo, cæterisq; veteribus huius scientiæ summis viris, successere, exactissimis obseruationibus cognouerunt quamplures apparitiones, aut apparentias (vt eorum more loquar) corporum cælestium, prioribus illis non tunc notas; exempligratia, stellas fixas, non solum, vltra motũ, quo mouentur à primo Mobili occasum versus, moueri etiã versus ortum (quemquidem motum Ptolemæus etiam non ignorauit); sed etiam moueri proprio quodam motu, modo versus Septentrionem, modo versus Austrum, ac quandoq; versus ortum, quandoq;

doq; versus Ocoasum tẽdere; atq; ob id modo progredientes, modo regredientes, modo stantes apparere: quinetiam maximam Solis declinationem ab æquatore, non semper eamdem videri, sed quandoq; maiorem, quandoq; minorem; aliasq; huius generis apparitiones: idcirco præfati summi Astronomi, harum apparentiarũ saluandarum, ac firmandarum gratia, acutißimis speculationibus excogitarũt, & asseruerunt tamdem, supra Sphærus Planetarũ, præter primum Mobile, Nonamq; spheram, (quam nouit etiam Ptolemæus) reperiri aliam sub præfatis duabus spheram, quã octauam appellarunt, stellas ipsas fixas poßidentem. quò fit, vt huiusmodi stellæ à tribus orbibus moueantur, videlicet à primo orbe motu diurno 24. horarũ occasum versus; à nona sphæra versus ortũ, motu vniformi, quibuslibet centum annis gradum vnum conficientes; ac tamdem ab octaua sphæra; cuius motu, quasi trepidantes, ac titubantes, quandoq; progredi, quandoq; regredi videntur, & modo ad Austrum, modo ad Aquilonẽ inclinare, vnde accessus, & recessus, seu trepidationis nomen, huius spheræ motus sortitus est, vt inferius dicemus. Quamuis autem primum Mobile nullam imaginem stellarum habeat, finxerũt tamen præfati Astronomi illum, Eclipticam cum suo Ariete, cæterisq; signis poßidere, secantem, seu diuidentem æquinoctialem, siue æquatorem in duobus punctis, in capitibus videlicet sui Arietis, suæq; Libræ. Nonam etiã spheram, tametsi nullas etiam illa, stellarum imagines poßideat, fingunt tamen suam eclipticam, cum suis Ariete, & Libra, cæterisq; signis continere. Hæc ecliptica directe perpetuo subijcitur eclipticæ primi mobilis: eius tamen Aries, cæteraq; signa, vi phantasiæ concepta, ad motum, & super polis suæ sphæræ mouentur, tardo quodam, vniformi tamen, motu versus ortum, quibuslibet centum annis gradum vnũ perficientia: atq; ob id eorum annus, siue completa circulatio, 49000. solares annos continet. participem autem sui motus facit hæc nona sphæra, sicut etiam primũ

mobile; sphæram ipsam octauam, eiusq; stellas; Auges etiam Planetarum, ac orbes tandem inferiores omnes. Quod autem ad octauam sphæram attinet; mouetur illa, vt paulo superius dictum est, motu quodam, qui motus trepidationis, siue accessus, & recessus nuncupatur: propterea quod ipsæ stellæ modo progredientes, modo regredientes, ad Ortum & ad Occasum, ad Aquilonem & Austrum diuersis statis tēporibus, moueri videntur. Huiusmodi autē diuersi effectus, ex qualitate, & natura motus huius spheræ oriūtur. Motus autem est huiusmodi. Mouentur caput Arietis, & caput Libræ huius spheræ circa capita Arietis, & Libræ sphæræ nonæ; describentia in eorum motu circulos quosdam paruos, quorū centra sunt Arietis, & Libræ spheræ nonæ capita. Huius spheræ Ecliptica (sub qua perpetuo mouetur Sol) diuidit, siue secat eclipticam nonæ spheræ (atq; ob id etiam eclipticā primi mobilis, sub qua eclipticam nonæ directe semper subijci dictum est) in capitibus Cancri, et Capricorni nonæ sphæræ. Ex quo fit, vt capita sui Arietis, suæq; Libræ, maximam obtineant distantiam, ac declinationem ab Ecliptica nonæ sphæræ. semper. n. dum ipsa capita circulos præfatos peragunt, (quod spatio 7000. annorum faciunt) ecliptica octauæ sphæræ, aut magis, aut minus ab ecliptica nonæ distat; præterquam dum ipsis capitibus parvorum præfatorum circulorum, medias longitudines attingentibus (quod bis in singulis eorum circuitibus contingit) ambæ eclipticæ coniunguntur. Quoniam vero paruus hic circulus, quem motu suo peragit caput Arietis octauæ sphæræ (quod autē de capite Arietis dicimus, de capite etiam Libræ intelligendum est), diuersis suis partibus, Ortum, Occasum, Meridiem, & Septentrionem respicit; propterea dum ob motum octauæ spheræ, caput Arietis in ipso paruo circulo voluitur, cōtingit ipsum, modo ad hanc, modo ad illam præfatarum plagarū, siue situum tendere, atq; inclinare: & ob id, quia stellæ fixæ omnes, tanquam claui in tabula, in hac earum sphæra fixæ permanent,

præfa-

præfatarum ad diuersos situs inclinationum, aliæ magis, aliæ minus, iuxta maiorem, vel minorem earum ad caput Arietis propinquitatem, participes euadunt. Dum igitur Arietis præfatum caput in partibus parui sui circuli ad Meridiem, vel ad Septentrionem inclinantibus reperitur; tunc valde modicā, respectu meridiei, aut Septentrionis, distantiæ varietatem, quasi stans; valde autem magnam respectu Ortus, & Occasus. per admodum longū tempus, efficere videtur. E' contra vero, quando partes circuli ad ortū vergentes, vel ad Occasum possidebit; tunc valde modicam respectu ortus, & occasus, distantiæ diuersitatem, quasi stans; valde autem magnam respectu Septentrionis, & Meridiei, peradmodum longū tempus facere videbitur.

Hæc Ecliptica octauæ sphæræ (sub qua, vt superius dictū est, perpetuo mouetur Sol), eclipticam nonæ sphæræ, atq; etiam ob id eclipticam primi mobilis, quæ ab ea numquam separatur, diuidit ferè semper, siue secat; præterquam dum existente capite Arietis octauæ sphæræ in longitudinibus medijs parui circuli, ambas has eclipticas vniri contingit. quod bis in toto ipsius capitis circuitu euenire potest. Quò fit vt, dum ecliptica octauæ sphæræ (quam secare æquatorem necesse est) illum secat, non semper accidit sectionem in illo æquatoris puncto fieri, in quo ipsum secat ecliptica primi mobilis; sed hoc tantummodo tunc euenire, quādo ecliptica octauæ sphæræ, cū ecliptica nonæ sphære, & primi mobilis iungitur. quod, dum caput Arietis circulum suum perlustrat, bis contingere dictū est. Non igitur in eo puncto semper ecliptica octauæ sphæræ æquatorem secat; in quò æquator ab ecliptica primi mobilis secatur: sed quandoq; illa sectio hāc præcedit, in æquatore, quandoq; sequitur; hoc est, quādoq; illa orientalior hac, quandoq; occidentalior reperitur.

Dum igitur caput Arietis octauæ sphæræ in suo paruo circulo ab vno duorum situum, quicunque ille sit, in quibus maxime distat ab ecliptica nonæ sphæræ, ad alterum tendit; tunc euenit, vt sectio,

quam facit ecliptica octauæ sphæræ cũ æquatore, modo accedat ad caput Arietis primi mobilis, modo ab eo recedat; ita quod huiusmo di sectio quandoq; secundum ordinem signorum procedat versus or tum, quandoq; contra dictum ordinem occasum versus. Quò fit, vt cum æquinoctium contingere nequeat, nisi Sole existente in æquatore; ac insuper Sol sub ecliptica octauæ sphæræ, sub qua perpetuo mouetur, permaneat; propterea necesse est, vt tunc æquinoctium contingat, quando Sol in sectione præfatæ eclipticæ cum æquatore reperitur. Quoniam autem diximus huiusmodi sectionem non sem per fieri in capite Arietis primi mobilis, sed in partibus æquatoris, quandoq; præcedentibus, quandoq; sequentibus præfatum caput; ideo Solem, quãdoq; citius, quandoq; tardius ab vno ad aliud æqui noctium, redire necesse est. atq; ob id, quoniã Solaris annus ab vno æquinoctio ad aliud mensuratur, & contineri creditur, ideo quandoq; breuiorem esse annum, quandoq; longiorem oportebit: quod eo rum dictis, atq; suppositis (vt superius dictum est) aduersatur, qui pro calendarij restitutione laborarunt, vel laborant, quorũ ego etiã vnus sum: tametsi non me lateat, super non tuto, ac solido fundamento extructa fuisse, quæ ad firmandum æquinoctium superius à me excogitata, atq; constructa sunt, sicut etiam, & quæ præfati cæteri excogitarunt atq; fabricarunt.

Tot igitur diuersæ summorum Astronomorũ opiniones, quas circa anni solaris quantitatem habuerunt, dum alij maiorem, alij minoré illã existimarũt; nõ sunt obseruationũ diuersitati, atq; ob id forsitan & falsitati, necessario attribuendæ, cum verendum non sit, nè adeo eximij, & celebres Astronomi in suis obseruationibus oberrarint: sed potius ipsismet veris quantitatis annuæ diuersitati bus ascribendæ sunt: quippe quam nõ eamdem varijs temporibus, sed longe diuersam, ob varios capitis Arietis octauæ sphæræ in suo circulo paruo situs, variosq; motus, inuenire potuerunt, quemadmodum superius, maiori quam potuimus breuitate declarauimus:

ac me-

ac melius etiam inuenire ac scire poterit, quicunq; recte perpẽdere, discutere, ac mathematicis linearibus descriptionibus demonstrare effectus, & accidentia, ex situ, & motu octauæ sphæræ prouenientia, exquisitiore, & exactiore calculo, & examine voluerit, quam huic negocio, quod nunc præ manibus habemus, conuenire arbitrati sumus. Nobis tamen nostroq; præsenti proposito satis esse volumus, ex his quæ dicta sunt suspicari nos non immerito posse, ablationem, certo quolibet annorum spatio, vnius ex anno diei, ad perpetuo firmandum æquinoctium in calendario; cum pro basi, vnam semper, & eandem anni solaris quantitatem, habeat; nullo nobis satis tuto adiumento ad id, quod quærimus consequẽdum, esse posse. Placuit nobis tamen super præfata basi, quæcunq; superius circa stabilitatem æquinoctij excogitauimus, construere, atq; ædificare, ac cæterorum, qui id fecerunt vestigia sequi: propterea quod, cum miræ tarditatis sit motus capitis Arietis octauæ sphæræ in suo paruo circulo; illud saltem ex hoc continget, vt quantitas solaris anni, quam posuimus, si non perpetuo, saltem ad admodum longum tempus, absq; vlla sensu perceptibili varietate, eadem permanere appareat, ac videatur.

Ex his, quæ diximus de inæqualitate solaris anni, confirmari potest opinio illorum (quam & ipse etiam libenter amplecterer), qui, cum difficultatem, seu potius impoßibilitatem, in calendario ita restituendo, vt perpetuo æquinoctij, & nouiluniorum sedes, seruare, ac custodire poßit, agnouissent; optimum fore existimarũt, si tantum præsenti malo, imminẽtiq; neceßitati mederetur. quando autem dehinc eadem rediret denuo, nouæ restitutionis neceßitas, illis, qui tunc temporis extiterint, rei conficiendæ prouincia relinqueretur.

Verum ad secundum iam compendij Lilij caput, accedamus.

CVM Christiani homines iuxta diuinum præceptum, cuncti Sanctum nostrum Pascha celebrare teneantur à die quartodecimo excluso, vsq; ad vigesimum primum inclusũ primi mensis, seu (quod idem est) primæ lunationis: quã illam esse existimãdum est, cuius quartus decimus dies, vel in ipsum diẽ æqui noctij verni cadit, vel post illud proximus; aut illam, iuxta opinionẽ Ioannis de Monte Regio, cuius initium verno æquinoctio proximius sit, vel præcedat ipsum, vel sequatur, (quæ quidem definitiones ad idem tẽdunt, idemq; sapiunt); cumq; ad hoc rite efficiendũ, inter cætera, necessarium sit, non tantum pro æquinoctio, sed etiã ad nouilunia ostẽdenda, dies in calendario certos, ac determinatos habere, vt calendarij auxilio præfatum sanctum Pascha possit inueniri: idcirco cuicumq; laboranti pro reducendo, ac restituendo calendario in peius quotidie labente, cognitionem motus, cursusq;, nõ tantum Solis, sed etiam Lunæ, esse maxime necessariã censeri potest. Antiqui illi Patres in Concilio Nicæno, vestigijs Cæsaris inhærentes in constitutione Cycli decem noualis, siue aureorum numerorum, quam attulit ipse Cæsar, ad ostendenda perpetuo (vt ipse credidit) nouilunia in calendario; admiserunt etiam & ipsi, inuẽtum Cæsaris imitantes, in suo calendario aureos ipsos numeros, nouiluniјs suorum temporum respondentes. quippe qui etiam & ipsi perpetuo hosce numeros, ad nouas lunas indicãdas, inseruire posse existimarunt. Verum cum deinceps exactissimis obseruationibus quamplurimi peritissimi Astronomicarũ disciplinarum viri, clare percepissent Lunam ipsam cum Sole coniunctam post quoslibet 19. annos, non exacte rursus (vt prius credebatur) reuerti ad eãdem eiusdem diei horam, horæq; partem, quam in eorum annorum initio reliquisset, sed aliquantulum prius, tantũ scilicet, vt in 304 annis, diem integrum conficeret; ex qua re sequi videbatur, aureũ numerum in calendario positum, quibuslibet 304. annis opus esse vnius diei retrocessionem facere: propterea itidem cognouerunt nõ

posse calendarium, si aliquod adminiculum non adhibeatur, cum aureo numero, pro tēpore Nicenæ synodi instituto, vtilem perpetuo permanere, ad rite sanctum pascha ita inueniendum, atq; intimādum, vt vigesimum primum primi mensis, seu lunationis diem, contra mandatum Diuinum, non pertransiret. Quamobrem huius generis disciplinarum periti, ac obseruantiam diuinorum mandatorum zelantes, exquirere, & longo studio, ac labore, excogitare cœperunt, an calendario tribui aliqua forma posset, qua perpetuo ad nouas lunas indicandas, idoneum permaneret. Quamuis autem huius rei gratia, admodum multi, huius doctrinæ insignes viri, varijs temporibus non defuerint, nec hodie desint, qui in huiuscemodi negocio, mirum in modo laborauerint, atq; operam nauarint: nihilominus, cum vsq; ad hodiernum diem nihil in hoc determinatum, aut decretum fuerit; ita præfatus error, atq; transgreßio inualuit, ac vires sumpsit, vt hac tempestate Pascha sanctum, non solum in vigesimo secundo, aut vigesimo tertio lunæ die, celebrari contingat, sed vsq; etiam ad vigesimum quartum, & quandoq; ad vigesimum quintum procedat error. ac, si huic malo non occurratur, trigesimū etiam Lunæ attinget diem, nempe ipsum nouilunium; atq; ob id, cum naturaliter contingere tunc valeat eclypsis Solis, occasio perfidis Iudæis, ac parum fidelium Christianorum mentibus, calumniādi dabitur; ascribentibus naturæ, non miraculo, miraculosam illā solarem eclypsim, quæ in plenilunio contigit moriente Christo. ac si tandem huic rei aliquod remedium non afferatur, ita serpet, et procedet absurditas, vt in tempore meßis, aut vindemiæ, aut sationis, ipsum pascha celebretur; contra mandatum Dei, præcipientis celebrationem paschatis in primo mense fieri, quem appellauit nouorum mensem, ac mensem nouarum frugum, siue frondium, in verno scilicet tempore. Poterit etiam contingere, si medela aliqua non adhibeatur, quod Dominicæ Resurrectionis festum, quādoq; (quò ad anni oportunitatem, aerisq; qualitatem attinet) in vno, & eo-

dem tempore concurrat cum ipso Christi natali die: nec non alia quamplurima huiuscemodi absurda, vt manifestum est. Sed, vt ad id, quod modo dicebamus, reuertamur, quamplures viri docti nouã formam, perpetuo permansuram calendario tribuere conati sunt, vt ad inueniendas nouas lunas idoneum redderetur. Maior autem eorum pars super aureum numerum, tamquam super aliquod fundamentum, ædificium suum cõstruere conati sunt; ita ipsum aptare, atq; disponere quærentes, vt nouarum lunarum, ostensioni, inseruire posset.

Aloysius tamen Lilius, (qui etiam & ipse vnus inter illos, cũ magna eius laude fuit, qui in hoc negocio elaborarunt), cum videre forte non posset, qua via in calendario aureus numerus cõmode, ac tute, ad semper indicanda nouilunia collocari posset; nouam calendarij formam acutißimo intellectus intuitu, excogitauit; auferens videlicet ex illo decemnoualem aurei numeri cyclum; eiusq; loco cyclumquemdam Epactalem inducẽs, singulisq; diebus tribuens epactas, tali forma, ac calculo dispositas, vt nouilunia indicare perpetuo nobis queant. Ego vero, quemadmodum hoc inuentum, ingenium, ac doctrinã mirifice sapere non me latet; ita, quamuis illud penitus pro comperto asserere, aut approbare non audeam, omnino tamen respuere non ausim. Equidem, cũ tertio iam elapso ab hinc anno Romã Sanctißimi Summi Pontificis deosculandorum pedum gratia, ac vt etiam Illustrißimos, & Reuerendiß. Cardinales de more venerarer, gratias, quas possem maximas acturus pro Archiepiscopatu Patrensi mihi collato; simul & quod me Coadiutorẽ in Archiepiscopatu Senensi constituerint; profectus essem; sæpe sæpius cum eximio Doctore Antonio Lilio sermonem habui, qui Aloysij Lilij frater est; vir valde & ipse huius generis studiorum peritus; quippe qui Aloysio socius fuisset in eo libro componendo, in quo noua calẽdarij facies cõtinetur. cuius quidem libri, hoc cõfectũ est cõpendium, à tua Serenißima celsitudine ad nos transmissum.

Hunc

Hunc librum vir ille doctus legendum mihi tradidit, libenterq; legi; præsertim cum id pergratum sibi fore Reuerendiß. Episcopus tunc Soranus, Sanctiß. Domini Nostri Thesaurarius, mihi efficaciter asseuerauerit. Veruntamen quamuis auide librum legendum sumpsissem, illumq; legerem, tamen admodum attente legere non potui, sed raptim, & quasi literas, lineasq; deuorans: quippe qui in præfatis officijs fungendis occupatum, & distentum me videbam; quibus quidem officijs addebatur etiam expeditio bullarum, seu literarum Apostolicarum, ad præfatos Archiepiscopatus pertinentium. ac alia insuper negocia non deerant, pluribus ex causis non omittenda: quibus omnibus occupationibus liberari, atq; expediri festinabam, vt quamprimum Senas reuerti possem. Has igitur ob causas non valui (vt iam dixi) intēto animo librum legere, perpendere, & acute, & tota mentis acie penetrare; præsertim nouum illud inuentum cycli epactalis; quod quidem mentem occupationibus vacuam & liberam exposcebat, non autem alienam, ac distractam, vt tunc me habere sentiebam. Frequenter vir ille, sanè eruditus, mihiq; admodum amicus factus, me perhumaniter inuisebat. cui circa ea, quæ in ipso eius libro cōtinebantur, quasdam quandoq; dubitationes, nè dicam obiectiones, proponebam, præsertim circa nouum illud Epactarum suarum inuentū. Quamuis autem ipse satis doctè responderet, & quibusdam solutionum, & responsionum suarum acquiescerem; aliquarum tamen sensum, sententiamq; non exactè percipiebam. ac tandem non penitus earum capax, Roma discessi, differens earum exquisitiorem considerationem in aliud tempus, in quo liberior, & expeditior ab aliorum negociorum occupationibus esse possem. quod quidem tempus, non solum numquam hucusq; aduenit, sed in dies, studiorum, ac speculationum ad scientias, disciplinasq; spectantium, impedimenta, quæ Coadiutoris officio debentur, augeri video. Modo vero in lectione præfati compendij, eò magis huiuscemodi ordinem, ac formā Epactarum

ctarum non medullitus percipere me sentio; quò compẽdium ipsum adeo coarctatam, atq; perstrinctam breuitatem continet, vt omnimodã epactalem hãc rationẽ, atq; intelligentiã difficiliorẽ reddat. Cæterum, vt omni studio, ac conatu perpendere rem, ac considerare potui, non audeo huiuscemodi epactarum cyclum, in calendario sic dispositũ, recipere, ac penitus recipiendum existimare. Primum quidem (quod proculdubio magni refert) non clare video, quo pacto ad admodum longum tẽpus, ad id, quod sui muneris esse debet, satisfacere, atq; inseruire valeat, ad nouarum scilicet lunarũ ostensionem; nisi valde frequenter epactarum æquationes illæ adhibeantur, quarum tabellas confecit, ac ordinauit. ac quamuis detur, vt ad valde longum, atq; etiam, si placet, infinitum tempus, id valeat inseruire; tamen nõ perpetua quadam in orbem reiterãdi construitur, ac seruatur forma, vt ratio cyclorum postulat; sed ex tẽsarum potius tabularum, ac quasi Ephemeridum perpetuarum more, protenditur hic progressus. Præterea mirum in modum grauis, ac molesta obscuri huius inuẽti, eiusq; vsus difficultas videri poterit; præsertim cum tot tabellarum, nec non cyclorum, siue rotularũ adminiculo, noui huius inuenti vsum, fulcire Lilius coactus sit; vt Sacerdotum, ne dum Laicorũ mentibus, penè imperceptibiles videri possint; quippe quos maiori ex parte potius parum eruditos (quod maxime ægreferendum est), quam ingenio, & doctrina perspicaces, passim conspicimus, ac mirum in modum dolemus. Huc accedit, quod cum recentium inuentorum, ex nullo vnquam tempore perceptorum nouitas, hominũ auribus parum grata videri soleat; idcirco quia Christiani homines multarum annorũ centuriarum inueterata aurei numeri vsus cõsuetudine allecti detinentur; difficillime ad hoc adduci, aut trahi poterunt, vt nouum hoc, inauditumq; cycli huius epactalis inuentum, admittere, ac recipere libenter velint. atq; eò magis, quò Nicæni concilij authoritas, aureũ numerum in calendario admittentis, intercedit, ac vehementer mo-

uere potest. tametsi in hoc quasi decepti illi Patres, videri possint, quod illum perpetuo haud immutabilem existimarunt: cum tamē quibuslibet 304. annis, retrocessione vnius diei (quemadmodum dictum est) ipsum mutari necesse sit. Quapropter si qua ratio, aut via excogitari, & inueniri posset, qua perpetuo nobis aureus numerus inseruiret; nulli dubium esse potest, quin id longe libentius reciperent homines, quam ipsius cycli epactalis nouitatem. Laudo igitur huiusmodi epactalem inuentionem, ac apprime doctam, ingeniosamq; iudico: sed eius nouitas me deterret, ac difficultas illius vsus, dissuasionem affert. siquidem consueta, ac inueterata dimittere, vt noua, dissuetaq; loco illorum inducātur, nisi necessitas aliqua suadeat, atq; cogat, non libenter probo. Quò fit, vt si quo pacto fieri queat (veluti paulo superius diximus) vt antiquissimus, ac per tot iam annos receptus aureus numerus in calendario, tali forma, ac ratione disponatur, ac tali auxilio muniatur, vt perpetuo vtilis ad munus suum obeundum, videlicet ad indicandum nouilunia, reddatur; nullo pacto verendum esse arbitror, quin omniū sententia, ac etiam ipsius met Lilij, cyclo epactali præferendus sit. Quamobrem, quoniā (ni fallor) confido fore, vt quædam ratio, ac forma, quam pro aurei numeri tutela mente concepi, atq; excogitaui, sit aureo numero, quod in ipso desyderatur, largitura, atq; ad suum munus perpetuo obeundum, idoneum illum effectura; nullus merito mirari poterit, si post habito epactali cyclo, præfatis meis inuentis, donec quis ea non satis tuta demonstrauerit, adhærebo. Sed priusquam id explicare, ac demonstrare aggrediar, animaduertere Lectores cupio, quod quamuis superius dixerim Astronomis, qui post collocatum aureum numerum in calendario, anni lunaris quātitatem exactissimis obseruationibus agnouerunt, innotuisse tandem, Lunam cum Sole coniunctam, post quoslibet 19. solares annos ad eandem eiusdem diei horam, horæq; partem, nō reuerti, sed reuersam fuisse per horam, & aliquot horæ minuta prius; per tot

scilicet, vt quibus libet 304. annis, integrũ diem conficiant: atq; ob id aureum numerũ, vt nouilunia, indicare valeat, per vnũ diem in præfato temporis spatio, retrocedere in calendario cogi: nihilominus, quoniam si diligenti calculo, quid referat; 4. illos annos vltra 300, vel retinere, vel omittere computabimus, clare nouerimus, non tanti id referre, vt in quam pluribus millibus annorum, sensibilis penè, aut admodum magnifaciendus error in negocio nostro cõtingere queat; idcirco, vt nobiliori annorum numero vtamur, placuit solos 300. annos, loco 304. annorum assumere; atq; ob id asserere 300. annos in retrocessione, ac præuentione aurei numeri, diem illum eximere, quem 304. annis opinio communis ascribit. Atqui, vt tandem ad id, quod de aureo numero proposuimus, declarandum accedamus, quædam prius tamquam manifesta supponemus; quæ nullus, vt opinor, merito inficiari queat. Primũ illud est, quod, si dies vnus è quopiam anno eximatur, tunc eius anni nouilunia in calendario, post demptum diem insequentia, per vnum diẽ vlterius, hoc est inferius procedent. Exempli gratia, cũ noua luna Martij hoc anno 1578, die eius octauo contingat, si ex præcedentibus illam mensibus, dies vnus ablatus esset, vt puta vigesimus octauus Februarij, (vel qui vis alius), ita quod 27. dũtaxat dies Februario relinquerentur; noua luna ad diem nonum processisset: quippe quæ 30. dies, cũ sit noua luna Martij, sibi vendicaret, atq; ob id illos completura esset. Quamuis. n. Luna medio motu suo, quẽ respicere solet Ecclesia, in diebus 29. cum dimidio ferè, cursum suũ, ab vna cum Sole coniunctione ad aliam, cõficere soleat; quia tamẽ Ecclesiæ moris est, non dierum portionibus, sed loco illarum, integris diebus vti; dimidiatiq; dies in calendario locũ habere nequeũt; ideo ita lunæ dies in calendario mensibus distributi sunt, vt vni 30, alteri vero 29. alternatim attributi fuerint. Quoniam autem in huiusmodi distributione, 30. lunæ dies Martio contigerunt, illos lunam pro nouilunio Martij, perficere, ac complere necesse est.

Cum

Cum igitur hoc anno 1578. noua luna Februarij contingat die eius sexto, si ab eo diem vnum auferemus, 27. tantum dies ipsi relinquentes, Lunam ipsam in die octauo Martij, 30. dies adhuc nō compleuisse inueniemus, veluti nullo à Februario, die dempto contigit; sed ad nonū Martij diem, vt id efficiat, peruenire necesse est, quemadmodum cuilibet, dies in calendario numeranti, atq; computanti, innotescet. Supponimus secundo loco (& hoc præcedenti supposito perquam simile est) eius anni, à quo vnus demetur dies, aureos numeros in mensibus, ablationem diei, sequentibus, officio suo, demonstrandi scilicet nouilunia, nō functuros fore in illis ipsis diebus, quibus in calendario attributi sunt; sed in diebus immediate sequentibus id facturos. Exempli gratia, quia præsens annus 1578. pro suo aureo numero habet 2, qui in octauo die Martij collocatus est; si ex aliquo præcedentium mensium, verbi gratia ex Februario, dies vnus auferetur, cum 27. solis diebus remanente; tunc aureus numerus Martij, videlicet 2, nouilunium indicare (quod sui muneris est) non poterit, veluti non dempto illo die eueniret; sed ad sequentem indicatio differetur, nempe ad nonum diem, in quo 30. dies, si ab aureo numero Februarij, videlicet 2, ad sextū eius diem apposito, numerare cœperimus, terminari videbimus.

Ex his duobus suppositis tertiū hoc etiā, oriri necesse est, quod, cum certo quolibet annorum spatio, vel plurium, vel pauciorū, iuxta varias Astronomorum opiniones, ad stabilem retinendam sedem æquinoctij, eximendus sit vnus ab anno dies, ex bisextili communi facto, vt superius determinatū est; propterea quotienscūque id factum fuerit, illud euenire necesse erit, vt in ea anni parte, quæ diem vigesimum quartum Februarij sequitur ac etiam in anni sequentis parte, quæ eundem vigesimum quartum præcedit diem; aureus ipse numerus vlterius per vnū diē progredi debeat, vt nouilunia dare queat; siquidem vigesimus quartus Februarij dies ad ablationem diei destinatus est; quippe qui, cum bisexti locus sit, idcirco,

ſicut addendis diebus deputatus eſt, ſic etiam & demendis deputandus erit. Noſtra hæc ſuppoſita ab vllo inficiari non poſſe arbitramur. Horum igitur veritate inconcuſſa permanente, eius auxilio viam quamdam excogitauimus, qua deſcenſus aureorum numerorum, nouiluniorumq; in calendario, nihil detrimenti, aut erroris afferet, veluti afferret, ſi nõ occurreretur, ac obuiam nõ iretur. nã dum omittitur dies pro æquatione æquinoctij, priuſquam omittatur pro aureorum numerorum æquatione; propterea quod diei anticipatio in nouilunijs, aureoq; numero, longius expoſcit tempus, quã æquinoctij anticipatio poſtulet; nouilunia in calendario verſus calcem menſis deſcendere neceſſe eſt. Quare ex hoc contingere poterit celebratio paſchatis quandoq; in tertia decima luna, quandoq; in duodecima, et ſic de alijs: aureiq; numeri non nouilunia indicabũt, ſed modo Lunam vigeſimam octauã, modo vigeſimam ſeptimã, & ſic de cæteris. quod abſurdiſſimũ quidem eſſet. Cui malo medelam ex ijs, quæ modo dicemus allaturos nos fore credimus, præfatis ſuppoſitis inhærentes. Nam, quoniam ſuperius de æquinoctio pertractantes, quolibet 100. annorum ſpatio, vt eius ſedem ſtabilem efficiamus, ab anno demendum eſſe diem vnum determinauimus, centeſimis videlicet quibuslibet annis, ex biſextilibus, communibus cõſtitutis; propterea aureum ſimiliter numerum, centeſimo quoq; anno vnum diem vlterius in calendario progredi neceſſe erit. itaq; in ſecundo cẽteſimo anno, huiuſmodi progreſſum ad ſecũdum diem deuenire oportebit; in tertio ad tertium etiam eadem ratione deueniret, niſi in trecenteſimo anno aureus numerus, ob causã ſuperius allatam, per vnum diem retroceſſurus eſſet: qua retroceſſione progreſſum illum retineri, & impediri, atq; ob id aureum numerũ eo anno in eodem loco permanere opus erit. Nam, cum ipſe aureus numerus in anno trecenteſimo, ob diem ex anno demptum, per diem vnum procedere vlterius; ſua autem ipſius cauſa per vnum itidem diem retrocedere debeat; ex hoc fit, vt dum tanta debet eſſe retro-
ceſſio,

cessio, quantus etiam progressus; necessario nec progrediatur, eo anno nec retrocedat; atq; ob id immotus permanens, à secundo die, ad quem in secundo centesimo anno peruenerat, non recedat; atq; ideo in 300. annis duorum tantum dierum spatio pregressus erit. Idem autem de alijs 300. annis, qui sequentur, vsq; scilicet ad 600. dicendum est, in 600. videlicet annis, 4. tantummodo dierum spatium cõfecisse: atq; eadem ratione idem de quibuslibet 300. annis, qui sequentur, asserendum est. Quamobrem, si, exempli gratia, scire cupiamus in quo nam die nouilunium Martij haberi possit in anno 1822, qui erit annus dugentesimus quadragesimus secundus post calendarij restitutionem, quam anno Domini 1580. futurã auguramur, ac supponimus; tunc, quoniam inuenimus aureũ numerum præfati anni esse 18; si ipsum inquiremus in Calendarijs, quibus hodie vtimur, aureos numeros ita collocatos habentibus, vt nouilunijs respondeãt nostrorum temporum; illum duodecimo diei Martij appositum reperiemus. quoniam autẽ in annis 242, duo tantum anni centesimi cõtinentur, qui aureum numerum per dies duos vlterius progredi coegerunt; idcirco nouilunium Martij eo anno, decimoquarto die eiusdem mẽsis futurum asseremus. atq; idem simili modo de trecentis in trecentos annos consyderari, atq; affirmari poterit, dum quibuslibet trecẽtis annis duos aurei numeri progressus, dies apponere curabimus. Animaduertere tamen operæ prætium est, quod si inuenerimus dierũ numerum ab aureo numero transactorum, eorumq; numerationẽ, non in ipso proposito mense, cuius nouilunium quærimus desituram, sed ad aliquẽ diẽ sequentis mensis, cuius nouilunium nõ quærimus, peruenturã; tunc, quia certo scimus tot dies aureum numerum mensis, propositum mẽsem præcedentis, vlterius procedere debuisse, quot propositi mensis aureus numerus processit; illud etiã ob id pro cõperto nobis erit, quod, quemadmodum numerus dierum ab aureo numero propositi mẽsis, transactorum, ad sequentem mensem pertransit; ita etiam nume-

rus dierum ab aureo numero mensis, propositum mensem praecedentis transactorum (qui quidem numerus idem cū illo est), ad propositum mensem trāsiturus erit. quare in eo ipso die propositi mēsis, ad quē numeratio praefatorū dierum peruenerit, nouā Lunā, quā quaerebamus, inueniemus. Exempli gratia, si diem nō ignorare velimus, in quē nouiluniū Martij incidat anno Domini 2624, qui erit annus millesimus quadragesimus quartus, post restitutionē calendarij, quā conijcimus fore anno Domini 1580; tunc, quia propositi anni aureū numerū inuenimus esse 3; si in calēdarijs, quibus hodie vtimur, aureos numeros continentibus, nostrorū tēporū nouilunijs respondentes; aureum numerū 3, in mense Martio inquiremus; illum ad vigesimū septimū mensis diem appositū inueniemus. Quoniā vero in 1044. annis, 10. cēturiae annorū cōtinētur, quae aureum numerū per 7. dies vlterius progredi coegerunt; si hos dies, ab aureo numero 3, eiusdē mēsis Martij, ad vigesimū septimū eius diē apposito, numerare coeperimus, Aprilē ingressi ad tertiū ipsius diem perueniemus. Sed quia, ibi nouilunium Aprilis est est, nō autē Martij, quod quaerimus, ideo vt illud reperiamus, eorūdem dierū numero, ab aureo eodem numero 3, mensis Februarij, ad vigesimum quintū eius diem apposito, numerandi initium sumentes, ad quartum diē Martij perueniemus, ibiq; nouiluniū Martij eo anno contingere, asseuerare poterimus. Vt autē melius, ac facilius quae diximus percipi, atq; vsui tradi valeant, Tabulam quādam excogitauimus, confecimus, atq; descripsimus; cuius adminiculo, vnusquisq; quam facillime, ex aureo numero in calendarijs nostris, quorū nunc viget vsus, collocato aut collocādo, nouas lunas quorūlibet annorū, restitutionem calendarij, sequuturorū, in eorū mensibus, perpetuo poterit inuenire. Describam igitur prius Tabulam; ac deinde eius ordo, & vsus declarabitur.

Tabula, ad perpetuo inueniendas, Aurei numeri in Calendario collocati adminiculo, nouas Lunas quorumlibet annorum Domini, post restitutionem Calendarij, successurorum.

Annorum Centuriæ post restitutionem Calendarij successurorum.	*Dies ab Aureo numero in Calendario vlterius transigendi.*
100	1
200	2
. 300	2
400	3
500	4
. 600	4
700	5
800	6
. 900	6
1000	7
1100	8
. 1200	8

Annorum Centuriæ post restitutionem Calendarij successurorum.	*Dies ab Aureo numero in Calendario vlterius transfigendi.*
1300	9
1400	10
. 1500	10
1600	11
1700	12
. 1800	12
1900	13
2000	14
. 2100	14
2200	15
2300	16
. 2400	16
2500	17
2600	18
. 2700	18
2800	19
2900	20

Resi-

Annorum Centuriæ post restitutionem Calendarij successurorum.	Dies ab Aureo numero in Calendario vlterius transigendi.
. 3000	20
3100	21
3200	22
. 3300	22
3400	23
3500	24
. 3600	24
3700	25
3800	26
. 3900	26
4000	27
4100	28
. 4200	28
4300	29
4400	30
. 4500	30

Hæc Tabula, quoniam admodum simplex est, plures non continet columnas siue ordines, quam duos. In quorum primo collocatur numerus centuriarum annorum, qui post Calendarium restitutum sequuturi sunt. In secundo vero ordine numerus ponitur dierum illorum, quos vlterius in calendario progrediens confecerit aureus numerus illorum centesimorum annorum, è regione in primo ordine positorum; quemadmodum innuunt inscriptiones, seu tituli præfatarum columnarum, siue ordinum in capite Tabulæ positi. Tabulam autem vlterius in primo ordine non protendimus, quam vsq; ad 45. centurias annorum, nempe ad 4500 annos. in secundo vero ordine vsq; ad 30. dierum numerum. Siquidem 30 dies ad summum satis esse valent ad hoc, vt in numeratione illorum, ab aureo numero mensis initium sumendo, ab vno mense ad alium transitio nō contingat. quod tunc euenit, quando aureus numerus mēsis, cuius nouilunium quærimus, in principio mēsis 31 dies possidentis, reperitur. in hoc. n. casu numeratio 30 dierum, ab aureo numero initium sumens, mensem illum non egreditur, sed in trigesimo primo eius die terminum figit: ita quod si dies numerandi essent 31, numeratio sequentē mensem ingressa, in ipso perficeretur. in quouis autem alio mensis die, quam in primo reperiretur aureus numerus, 30. dierum numeratio mensis finem transgrederetur, ac non propositi mensis, sed sequentis nouilunium indicaret. tantoq; minor numerus numerandorum dierum ad attingendum sequentem mēsem satis erit, quanto propositi mensis aureus numerus, remotior à principio mensis fuerit, atq; ob id proximior sequenti; veluti vnicuiq; rem ipsam perpendenti facile perspicuum esse potest. Quomodo autem in illis casibus procedendum nobis sit, in quibus numerus dierum, quos aureus numerus vlterius progrediens in calendario confecerit, cogit nos in eorum dierum numeratione, ad sequentem mensem pertransire; nec non qua ratione processuri simus, quando annus, cuius nouilunia quærimus, 45 annorum centurias, annos videlicet

delicet 4500, ad quos tabula est extẽsa, superaret; horum casuũ, ac aliorum etiam, animaduersiones, & documenta, tunc declarabimus, atq; exẽplis illustrabimus, cũ tabulæ vsum explanabimus. Eius autem vsus duplex est. primus vtendi modus est huiusmodi.

Posteaquam proposuerimus alicuius mensis in aliquo anno nouã inuenire Lunã, primum oportebit inuenire aureum numerũ illius anni. quod quidem facillimum est: præsertim adminiculo notæ illius regulæ, qua passim vtuntur omnes. qua docemur addere vnitatem numero propositorum annorum Domini, (Christus. n. conceptus fuit currente pro aureo numero vnitate; natus vero in calce anni primi, decemnoualis cycli quo vtimur, vt Dionysius Abbas asserit, ipseq; Lucidus in suis tabulis); ac dehinc numerum ex additione prouenientem, per 19 diuidemus, vt quod post partitionem reliquum est, pro aureo numero eius anni habeatur; & si nihil erit reliqui, habebimus 19, pro aureo numero. exempli gratia, si scire velimus aureum numerum præsentis anni 1578, tunc addita huic numero vnitate, qua anni 1579, efficiciuntur, hos per 19 partiemur, & numerus binarius, qui ex partitione reliquus est, propositi anni 1578 aureus numerus erit. Redeuntes igitur ad id, quod modo dicebamus, reperto aureo numero eius anni Domini, in quo propositi mensis nouiluniũ quærimus, ab hoc anno subtrahendus est annus Domini 1580, quem coniicimus restituendo calendario fore destinandum. in numero autem, qui ex subtractione relinquetur, videbimus quot annorum centuriæ claudantur: ac cum ipsis, tabulæ nostræ primum ordinem seu columnam ingrediemur; ac numerum dierum in secundo ordine è regione collocatum assumemus. quo quidem numero, ab aureo numero propositi mensis initiũ sumentes, numerando procedemus, vsq; quò numeratio compleatur. dies autem ille, in quo numerationis terminus continget, nouilunium nobis dabit, quod inquirendum proposuimus. Aliquorum exemplorum auxilio facilius quæ diximus, percipientur.

Sit nobis propositum nouã Lunam inuenire mẽsis Martij anni Domini 6117. Primum igitur quærendus est huius anni aureus numerus, quem facillime ex præfata regula, inueniemus esse 19, demptisq; ex hoc numero annis Domini 1580, atq; ex subtractione remanentibus annis 4537, quos 45 integras annorũ centurias continere videmus; si ipsas, primum tabulæ ordinẽ ingredientes inquiremus, eas in fine tabulæ, 30, dierum numero, in secundo ordine posito, respondentes, inueniemus. quorum quidem dierum, si numerationem in mense Martio faciemus, initium sumẽtes ab aureo numero 19, qui primo mensis diei appositus est; proculdubio ad diẽ trigesimum primum mensis perueniemus, ibiq; nouilunium contingere asseremus, quod quidem inueniendum propositum nobis fuit. Quin etiam clarioris adhuc declarationis gratia, alterius exempli adminiculo vtamur, supponentes propositum nobis esse nouam itidem lunam Martij inuenire in anno Domini 3065. Primum ergo inueniemus aureum numerum eius anni esse 7. demptis dehinc ex præfatis annis 3065, annis Domini 1580, reliquos ex subtractione habebimus annos 1485, 14 annorum integras centurias complectentes: quibus quidem centurijs in primo tabulæ ordine repertis, respondere è regione videbimus numerum dierum 10 in secũdo ordine collocatum. quorum quidem dierum, si numerationem in mense Martio faciemus, initiũ sumẽtes ab aureo numero 7, quem ad decimum tertium mensis diem appositum videmus; profecto ad vigesimum tertium mensis diem numerationem deducemus, ibiq; nouilunium, quod inueniendum propositum nobis fuit, contingere asseuerabimus. Eadem via, ac ratione procedendum erit, idemq; ordo seruandus, in quolibet numero annorum illorum Domini, qui post annum 1580 successuri sunt; quando numerus dierum in secundo tabulæ ordine repertus, talis erit, vt eius numeratio, ab aureo numero mensis incipienda, in eodem mense terminum figat, & ad sequentem non pertranseat. Si vero pertransire contingat, tunc

hoc

hoc ordine, ac ratione procedere opus erit. Propositum nobis sit, exẽpli gratia, nouã Martij lunam reperire in anno Domini 2670. Posteaquam igitur primo loco repertum fuerit aureum numerum huius anni esse 11; subtrahemus à præfato numero, annos Domini 1580, & remanentibus ex subtractione annis 1090, centurias annorum integras 10 claudentibus, illas in primo tabulæ ordine inquiremus; atq; è regione ipsarum in secundo ordine numerũ dierum 7 inueniemus. quorum dierum si numerationem in Martio faciemus, principiũ numerandi sumentes ab aureo numero 11, quem diei vigesimo octauo mensis attributum videmus; proculdubio à mense Martio ad Aprilem pertransire coacti erimus, in cuius die quarto, numeratio perficietur; ibiq; nouiluniũ reperiri quidem certũ erit, sed non illud, quod in mense Martio quærebamus. In tali ergo casũ hac, quam apponemus, ratione procedendum erit.

Cum iam nobis innotuerit, ob demptum ex quolibet centesimo anno diem, ex bisextili communi facto, aureum numerũ vlterius progredi in calendario, non solum in vno dumtaxat mense, sed in cunctis mensibus oportere, eo ordine, quem superius notum fecimus; ex hoc illud itidem innotescit, quod, dum in exemplo, vltimo loco posito, in præfatis illis 10, centurijs annorum, aureus numerus Martij à suo loco vlterius, 7 dierum spatio progressus est, atq; ideo huiusmodi progressus vsq; ad quartum Aprilis diem peruenit, vt in exẽplo superius, vltimo loco posito, visum est; eodem tempore idem aureus numerus 11, in mẽse Februario, in vigesimo septimo, eius die collocatus, post videlicet diem vigesimum quartum eiusdem mẽsis, in quo contingit diei vnius ab anno ablatio ex bisextili communi facto; progressus est etiã & ipse vlterius in calendario, eodem 7, dierum spatio. quorum si numerationem in mẽse Februario fecerimus, initium sumentes ab aureo numero 11, ad vigesimum septimũ diẽ Februarij apposito, illud consequi inueniemus, quod cum Februarius solos 28 dies habeat, quia annus ille ex bisextili communis

euaſit, vt cæteri centeſimi omnes; profectò numerationem ad ſextũ Martij diem terminari continget; atq; ob id dies ille nouilunium, quod quærimus nobis dabit. Quæ hactenus circa vſum tabulæ diximus, ac exemplorum additione dilucidauimus, tunc locum habere queunt, quando annorum numerus, quorũ nouilunia quærimus, 4500, quouſq; protenditur noſtra tabula, non excedit. Verum quoniam perpetuo, vt diximus, hæc Tabula inſeruire debet, pauca quædam addere, ac etiam exemplorum lumine illuſtrare operæ prætium exiſtimaui, ad eius vſum, tunc inſeruientia, quãdo annorum numerus, de quo nouilunia inquirimus, eorum numerum excedit, quos tota continet ipſa tabula. Siquis igitur quandoq; fuerit, qui alicuius menſis nouam Lunam ſcire cupiat, in aliquo anno Domini, ex quo deductis annis Domini 1580, talis annorum numerus reliquus ſit, qui annos 4500, à tota tabula comprehenſos ſuperet; tunc eo caſu, aureo eius anni numero inuento, neceſſarium erit totiens ingredi tabulam, quotiens annorum numerus, ſuperabit præfatum 4500 annorum, numerũ; ac ſimul iungere omnes dierum numeros, in ſecundo tabulæ ordine, è regione eorum annorũ in primo ordine inuentorum, poſitos. & tunc animaduertere opus erit, quod cum clare conijcere poterimus numeratione illorum dierũ, quos 30, excedere neceſſe erit, neceſſario ab illo menſe ad ſequẽtẽ pertranſiturã, atq; ob id ad nouiluniũ propoſiti mẽſis, verbigratia Martij, terminari non poſſe, ſed ad nouã Lunã mẽſis ſequẽtis, nempe Aprilis, quam non inquirimus progreſſurã; tunc neceſſarium erit dierum præfatorum numerationis initium ſumere ab aureo numero præcedentis mẽſis, videlicet Februarij. quæ quidem numeratio, quia neceſſario à Februario ad Martium eſt progreſſura, in ipſo Martio terminum figet, ac nouiluniũ propoſiti menſis, quod quidem inquirebamus, indicabit. Atqui ſi manifeſte videbimus adeo magnum eſſe dierum eorum numerum, quos aureum numerũ in quam multis annorum millibus, vlterius in calendario progredientem,

dientem, confecisse necesse fuerit; verbigratia talem, vt plusquam bis superet comprehensos in tota tabula, ita vt 60 excedat; tunc hoc posito casu necessarium erit præfatorum dierum numerationis initium sumere ab aureo numero secundi mensis, propositũ mẽsem, verbigratia, Martium, præcedentis, videlicet Ianuarij, vt numeratio terminari queat in mense Martio, (si ipsius nouam Lunam quærimus) quam ille dies dabit, in quo præfata numeratio perficietur. Itaq; anteaquam numerationem illorum dierũ aggrediamur, quos in tabula, vel bis, vel ter, vel quotiens opus fuerit, ingredientes, in secundo ordine è regione annorum in primo ordine collocatorum, inueniemus; necessarium erit considerare in quo nam mense, ex precedentibus mensem propositum, verbigratia Martium; numerationis illorum dierum, initium sumendum sit ab aureo numero illius mensis, vt numeratio terminari possit intra mensem, cuius nouilunium quærimus, vt ex die in quo terminatur numeratio, nouilunium ipsum habeatur. Non erit autem ab re aliquod exemplum ad faciliorem dictorum intelligentiam apponere.

Esto igitur quod scire velimus nouam Lunam in mẽse Martio, anno Domini 9018 (vtor autem libenter in exemplis ipsis mẽse Martio, quia mensis est, tum primarum nunc, vt plurimum Lunationum, tum etiam æquinoctij, quorum duorum cognitione ad sacrosanctum Pascha inueniendum indigemus. sed quæ de hoc mense dicuntur in exemplis nostris, ad cunctos menses vnusquisq; per se ipsum accommodare, & coaptare poterit). Posito igitur, quẽ diximus casu, primum præfati anni aureum numerum inquiremus, ac ex iam superius adducta regula, sciemus esse 13. Deinceps ex præfatis annis, demptis annis Domini 1580, (ob sæpius adductam causam), cum in 7438. annis, qui ex subtractione reliqui sunt, 74 integræ annorum centuriæ contineantur, ac cũ ipsis semel tantum ingredi primũ tabulæ ordinem nequeamus, quia 4500, excedunt, vltra quos tabula non extẽditur; bis tabulam ingrediemur,

semel

semel cũ 4500, è regione quorum in ſecundo ordine numerus 30 dierum inuenitur, quem ſeorſum notabimus. dehinc ſecunda vice ingrediemur cum annorum numero, qui vltra 4500, reliqui ſũt, videlicet cũ 2938, 29 cẽturias annorum complectentibus. quibus è regione videbimus reſpondere numerum dierum 20, qui illis 30, iam notatis additi, 50 dierum numerum efficiunt. Cum autem conijcere poßimus, quod ſi præfatorum 50. dierum numerationis initium ab aureo uumero 13 in menſe Martio, ſumpſerimus, numeratio ipſa, Martium tranſgreſſa, Aprilem ipſum ingredietur; diligenter conſyderabimus, an initium numerandi ſumẽtes ab eodem aureo numero Februarij, videlicet 13, in menſe Martio numerationem perficiemus. quod, quia ita contingere videbimus, ideo ad Ianuarium, aut ad alium anteriorẽ, ſeu priorem menſem confugere non erit opus. ſed à præfato aureo numero Februarij, numerationem præfatorum 50 dierum incipientes, illam ad vigeſimum ſeptimum Martij diem terminari reperiemus, ibiq; nouilunium reperiri aſſeuerabimus. Ad Ianuarium autem recurrendum erit, ſi huiuſmodi numeratio à Februarij aureo numero ſumpta, etiam & illa Martium pertranſibit. quod neceſſario contigerit ſi numerus dierum in ſecundo ordine tabulæ ſumptus, 60 ſuperabit. Simili modo ad alium etiam menſem ante Ianuarium confugiendum erit, ſi numerus dierum exceſſerit 90, & ſic de alijs, vt quilibet ex his quæ dicta ſunt facillime ex ſe ipſo percipere poterit.

Hic eſt igitur noſtræ tabulæ perpetuæ vtilitatis vſus, ſimplex quidem, & facilis, vt vnicuiq; recte conſideranti perſpicuum eſſe poterit. At ſi quandoq; euenerit, vt numerus dierum in ſecundo ordine inuentorum pluſquam bis, aut ter, aut alia quacunq; vice numerum ſuperet ab integra cõprehenſum tabula, nempe 30; veluti ſi 60, aut 90, aut alium quemuis maiorem numerum ſuperaret; tunc hoc caſu poſito, ſi horum dierum numerationẽ in quodam propoſito à nobis menſe terminari voluerimus; huiuſmodi numerationem

merationem initium sumere oportebit, vel à secundo mense, propositum mensem præcedente, vel à tertio, vel à quòpiam alio præcedentium; à quo numerationem incipientes, intra propositum mensem eius terminum habere poßimus. numeratio autem initium semper habere debet ab aureo numero anni, in ipso mense, locum habente. Animaduertere tamen opus est, quod si, dum inter præfatos præcedentes menses, mensem illum quærimus, à cuius aureo numero initium numerandi dies in tabula repertos, ita sumendum sit, vt intra propositum mensem, cuius nouilunium quærimus, terminari queat; nos in huiusmodi mense inquirẽdo, ad aliquem præcedentis anni mensem, peruenire, ac confugere cogeremur, vt puta à Ianuario ad Decembrem, vel ad Nouembrem, vel ad quemuis alium; tũc aurei numeri, non amplius anni propositi, sed præcedentis anni habenda esset ratio, vt ab ipso initium numerandi capiatur, quemadmodum vnusquisq; ex se ipso consyderare, & computare potest.

Hic igitur, quem longo sermone, plurimisq; exemplis declarauimus, est primus hac nostra tabula vtendi modus.

Alius modus erit, & præfato forte simplicior, ac facilior. & est huiusmodi. Quandocumq; dierum numerus in secundo tabulæ ordine repertorum, quorum numeratio, principium sumens ab aureo numero mensis, intra propositum mensem, cuius nouilunium volumus, terminum suum positura sit; excederet, aut vnica vice, aut pluribus, integrum totius tabulæ dierum numerum, videlicet 30, quemadmodum contingeret, si 60, aut 90, aut quemuis alium maiorem numerum superaret; tunc hoc posito casu, neglecta inuestigatione illius mẽsis inter præcedentes, à cuius aureo numero incipere poßit eorum dierum numeratio, vt intra propositum mensẽ perfici queat, veluti in primo modo vtendi tabula contingebat; poterimus à præfato dierũ numero, demere alternatim vna vice 30, & alia 29, initium demendi sumentes vel à 30, vel à 29, prout lunatio eius mensis, à quo fit initium, vel 30, vel 29 dierum erit:

M

cum iam expositum à nobis superius fuerit, mēses ipsos, ita inter se lunationes distribuisse, vt alternis vicibus alius 30 dierū lunationem, alius 29, sortitus fuerit, videlicet Martius 30, Aprilis 29, & sic deinceps. Poterimus igitur, vt iam diximus, à præfato numero dierum, vna, vel pluribus vicibus superante numerum dierū, contentum in tota ipsa tabula, demere alternatim vna vice 30, & alia 29, sicut diximus; donec aliquis dierū numerus reliquus sit, qui superetur à 29, vel à 30 prout lunatio eius mensis, in quo numeratio perfici debet, dierum 29, vel 30 fuerit. quorum dierum numerationis initium ab aureo numero propositi mēsis sumemus, si ipsa numeratio intra ipsum mensem perfici poterit: alioquin ab aureo numero præcedentis mensis sumenda erit. Itaq; in hoc secundo tabula vtendi modo, ad alios menses, propositum mensem præcedentes, confugiendum non erit, præterquam ad primū, qui proxime præcedit, quādo numerus ex præfata subtractione reliquus, talis erit, vt eius numeratio intra propositum mensem, terminum sortiri nequeat, vt dictū est. Qua in re illud est animaduertēdum, quod in subtrahendis diebus 30, & 29, debet haberi ratio quantitatis lunationis cuiuslibet mēsis. ita. n. inter menses lunationes, vt diximus distributæ sunt, vt vna sit 30 dierū, & altera 29, ita quod primus mensis, nempe Ianuarius lunationem 30, dierum habeat. nam cum lunatio iuxta medium lunæ motum, 29 dies cum dimidio ferè contineat, dimidietas vero diei locum in calendario habere nequeat; facta ob id fuit inter mēses alterna, quam diximus, distributio. Vnius exempli adminiculo facilius forsitan, quæ diximus percipientur. Esto igitur quod numerus dierum in secundo ordine repertus è regione annorum, non vnico ingressu in primo ordine tabulæ repertorum, sit 70, è regione respondens anno Domini, cuius in aliquo proposito mense nouilunium scire cupimus, verbigratia in Martio: atq; huius anni aureum numerum supponamus esse 4. In hoc igitur casu, si primū modum vsus tabulæ sequi

volumus,

volumus, quoniam videmus, quod si præfatorum 70 dierũ numerationem inciperemus ab aureo numero Martij, nullo pacto perficeretur in ipso Martio, sed vlterius pertransiret: nec etiam in ipso perfici posset, si ab aureo numero Februarij, qui in eius quarto decimo die ponitur, initium numerandi sumeremus; quia sic etiã 70 dierum numeratio Martiũ transgrederetur; idcirco inspiciendum erit, quis nam inter menses, mensem propositum, videlicet Martium, præcedentes, esse poßit, à cuius aureo numero, initio numerandi sumpto, numeratio intra Martij terminos, perfici valeat. Et cum videamus in casu iam posito, Ianuarium idoneum ad id existimari posse, numerationem incipiemus à præfato aureo numero 4, ad diem 16 Ianuarij apposito: ac inueniemus 70 præfatorum dierum numerationem, in die vigesimo septimo Martij terminum habituram, à quo noua Martij luna, quã quærebamus, dabitur. Hanc igitur propositam à nobis nouam lunã, ex primo modo vsus tabulæ consequuti sumus. Idem in præfato casu, & exemplo haberi potest etiã ex secundo modo, qui est huiusmodi. Eodem exemplo posito, cum ex tabula præfatum 70 dierũ numerum habeamus, ab illo subtruhemus alternis vicibus, vna vice 29 dies, & alia vice 30, donec supersit numerus ipso 29 minor; initium sumentes in hoc casu à 29, quia 29 dierum est lunatio Februarij, quæ prima subtrahitur in hoc exemplo: tametsi quando sunt vices pares, nil refert, ab hac, vel ab illa incipere, vt in præfato casu. Quoniam autem ex 70 non cõtingit demere, nisi vna vice 29 dies, & vna vice 30, numerum 59, simul additos efficientes; idcirco numerus 11 dierum, à 29 superatus, reliquus erit. ipsorum igitur numerationem, à præfato aureo numero Martij, videlicet 4, qui in 16 die Martij collocatur, incipientes, ad vigesimum septimum eiusdem diem, numerationis terminum progressum inueniemus, ibiq; Martij nouam Lunam habebimus, quam quærebamus. vbi etiã ex primo tabulæ vsus modo, vt vidimus, reperta fuit. Horum

duorum modorum vtendi hac nostra Tabula, vterq; ad nouilunia in calendario per aureos numeros indicanda, inseruire perpetuo valet: secundus tamen simplicior, & facilior mea quidem sententia, videri poterit.

Cæterum ante omnia circa præfatum inuentum nostrum, atq; vsum nostræ Tabulæ, illud præcipue notandum, ac tamquã maximi ponderis, animaduertendum est; quod, cum ex anno illo, quem Summus Pontifex ad restitutionem Calendarij destinabit, ablatio, vel 10 dierum, vel 14, vel quotquot fuerint, iuxta opinionẽ, quæ præualuerit, fieri debeat; propterea aureos illos numeros, qui reperiuntur in calendario, nouilunijs nostri temporis respõdentes; ad suum fungendum munus, ad nouilunia scilicet ostendenda, inutiles euadere necesse erit. Nam, quoniam nouilunia, quolibet dempto ex anno die, diem vnum etiam & ipsa, vt superius ostendimus, in calendario vlterius pertrãsire opus est; idcirco demptis ab anno, ad nouam sedem æquinoctio tribuendam, aliquot diebus, exempligratia 14, vt ad vigesimum quartum & vigesimum quintum dies Martij illud reducamus; profecto nouilunia, quæ post illam dierũ ablationẽ sequentur, totidem dierũ spatio vlterius tendent in calendario; atq; ob id totus aureorũ numerorũ præsens ordo perturbabitur. Quamobrem quando calendariũ restituetur, atq; in meliorẽ formam redigetur, ita aureos numeros aptare, & ordinare opus erit, vt nouilunia deinceps indicare valeãt. quod quidem effici poterit primũ, si seruatis aureorũ numerorum denominationibus, quas modo obtinent, ad nouilunia nostrorũ tẽporũ aptabuntur. Exempligratia si annus Domini 1581, erit (vt forę conijcio) primus post annum restituti calendarij; tunc currente eius anni aureo numero, iuxta hodiernas eorum denominationes 5; satis erit, si seruata eius denominatione (vt quinque sit scilicet) ad dies nouiluniorum eius anni, coaptabitur. quò collocato, cæteri numeri, ex cõmuni regula, ad distribuendos aureos numeros in calendario,

consue-

consueta, & valde nota, collocari poterunt. Possent etiam supputatis astronomico calculo 19 annorum nouilunijs, aurei numeri, seruata itidem præsenti eorũ denominatione, ad sua nouilunia coaptari. Alia etiã via, minori quidem labore, idem effici poterit, si dum restituitur calendariũ, ijdem aurei ipsi numeri, qui in calendarijs recentiũ nostrorũ Missalium, ac Breuiariorũ reperiuntur; tot dierum spatio deorsum, siue inferius deferantur, quot dies pro æquinoctio ad aliam sedem reducendo, ex illo anno eximendi fuerint. nulli.n. dubiũ esse potest, quin ipsi dehinc nouilunia sint ostensuri, veluti nunc ostendunt. Exempli gratia, si in anno restitutionis caleudarij decima luna vigesimum quintum Martij diem obtineret, atq; ob id nouilunium, idest prima luna, quartum decimũ diem Aprilis possederit, veluti eueniret, si annus Domini 1580 ad calendarium reformandum deputaretur, tunc demptis 14 diebus post vigesimum quintum diem Martij, vicem, & locum diei vigesimi sexti Martij, nonus dies Aprilis occuparet, atq; ob id vndecimus dies lunationis esset; ac propterea vigesimus octauus dies Aprilis nouiluniũ indicaret, auxilio aurei numeri 4, qui à quarto decimo die Aprilis, ad vigesimum octauum diem, ob ablationẽ illorum 14 dierum, pertransisset. Idem de cæteris aureis numeris dicendum est, quippe qui ob præfatam 14 dierum ablationẽ, 14 dierum spatio transilijssent.

Posset etiam nouus in restitutione calendarij decemnoualis aureorum numerorum cyclus institui; qui primo suo numero, seu potius vnitate, ab illo anno initiũ sumeret, qui sequetur restitutionis annũ; verbi gratia ab anno Domini 1581; quemadmodum etiã fecit ipsa Nicæna Synodus, nouum initium cycli per vnitatem sumens ab anno Domini 323, qui primus fuit post decretũ Paschatis canonem. cui quidem anno vnitatem (vt dixi) pro aureo numero tribuerunt. Poterimus igitur in constituendo nouo cycli initio, eorum Patrum exemplum sequi. & tunc ad inueniẽdum aureum

numerum anni alicuius propositi, pro vsu nostræ tabulæ, non erit necessarium ad numerum propositum anni Domini, ante eius partitionem per 19 addere annum vnum, vt modo facimus, ob causã superius adductam; sed proposito anno Domini, cuius aureum numerum quærimus, & ex eo deductis annis Domini 1580 (tũc. n. reformandum supponimus calendarium) satis erit partiri numerũ, qui supererit, per 19, ac numerus ex partitione reliquus, erit aureus numerus propositi illius anni. do exemplum. Proponatur aurei numeri inuestigatio pro anno Domini 1666. tunc demptis ab hoc numero annis Domini 1580, relinquentur anni 86. quẽ numerũ, si per 19 diuiserimus, supererunt 10 pro aureo numero anni propositi 1666. Possumus etiam aliter procedere, seruantes denominationes aureorum numerorum, quos modo poßidemus. proposito. n. quopiam anno Domini, cuius aureum numerũ iuxta præsentẽ denominationẽ, quã in nouis Breuiarijs habemus, indagare velimus; tunc demptis ex eius anni numero annis Domini 1580, ac numero, qui supererit, additis 4 annis, quotus est aureus numerus anni 1580 (qui 4 anni quasi pro radice inseruire debent) illos per 19 diuidemus, & quod ex diuisione supererit, pro aureo numero propositi anni habendum erit. exempligratia, esto, vt aureus numerus, sicut in præcedenti exemplo, inuestigandus sit anni Domini 1666. tunc demptis ab hoc numero annis Domini 1580, reliqui erunt 86; qui additis 4, euadent 90, quos si per 19 partiemur, supererunt 14 pro aureo numero propositi anni 1666; iuxta denominationem aureorum numerorum, in recentibus Breuiarijs, & Missalibus nostris collocatorum. Ex prædictis formis, ac regulis, illa eligi poterit, quæ facilior, simplicior, & expeditior existimabitur. Inuento autem aureo numero, reliqua in vsu tabulæ, vt superius ordinauimus, ac declarauimus, seruanda erunt.

Verumenimuero priusquam de hac ipsa tabula, disserendi finem

nem faciamus, etiam, his, quæ dicta sunt illud vnum addere operæpretium esse duximus, vt illis etiam satisfacere conemur, qui forte eam anni quantitatem, nostra veriorem existimabunt, quā Lilius sequens, ex illa infert, ad firmandum æquinoctij sedem, quibuslibet 134 annis, vnum diem ab anno, ex bisextili communi facto, demere nos oportere. Lilius igitur, vt notabilior, & nobilior præfati diei ablatio fieri posßit, huiusmodi modum, & formam, vt superius diximus, & in suo met Compendio videri potest, excogitauit; vt scilicet in quolibet trecentorum annorum spatio, post calendarij restitutionē, de centesimo quolibet anno dies vnus eximatur, videlicet ex bisextili communi facto: quartus autē cētesimus, quadringentesimus scilicet, bisextilis relinquatur; vt 34 illi anni, quorum præuentio, siue anticipatio, in quolibet trium centesimorum annorum fieri contingit, in quarto centesimo dehinc, anno, iusta compensatione, & æquatione facta, restituantur, ac idem in singulis 400, annorum spatijs, seruetur ordo. Videtur. n. Lilio huiusmodi ablationes dierum in singulis centenis annis exequēdas, in notabilioribus, ac facilius memoria retinendis annis, quales sūt centesimi, rationabiliorem, ac decentiorem locum habituras fore. Quare, cum superius à nobis ostensum, ac determinatum fuerit, eo anno, à quo dies vnus demitur, nouas lunas, aureosq; numeros, illas ostendentes, per vnū diem in calendario vlterius progredi oportere; propterea hoc idem similiter in centesimis illis annis Lilij, à quibus ille diem eximit; contingere necesse est; præterquam in tertio centesimo, seu in trecentesimo. Cum. n. aureus numerus, quibuslibet trecentis annis per vnum diem retrocedere debeat, atq; ob id huiusmodi retroceßio progressum illum, ob demptum ab anno diem, contingentem, compensare, ac restituere cogatur; idcirco aureus numerus, ob huiusmodi mutuum progrediendi, & retrocedendi conatum, necessario in eodem loco permanebit, ad quem in secundo centesimo anno iam peruenerat. Quartus autem dehinc centesimus

mus annus, cum à Lilio, nullo ex eo exempto die, bisextilis relinquatur, aureum numerum non cogit vlterius progredi; atq; ob id eodem in loco permanebit, ad quem in secundo centesimo anno pertransierat. Quò fit, vt in annis 400, duorum dumtaxat dierum spatium vlterius progrediens confecerit, atq; hoc idem quibuslibet 400, annis simili ratione perpetuo fieri continget. Ex his manifeste patet nostram in aurei numeri progressu, formam, ac ratione, ab ea, quam sequi ex Lilij positione demonstrauimus, in vlla alia re non discrepare, nisi quod duorum dierum spatium, quod ab aureo numero vlterius in calẽdario, progrediẽte, in 300 annis iuxta nostram positionem, ac formam conficitur; iuxta Lilij positionem in 400 annis confici continget. Cuius quidem discrepantiæ ratio est, quod quadragentesimum annum ex bisextili communem facimus, sicut & alios centesimos omnes; ipse autem bisextilem illum relinquit, nullo ex eo exempto die, atq; ob id nullum progressum aureus numerus facere eo anno cogitur. Itaq; si Tabula quædam ad nouilunia perpetuo, in calendario inuenienda, non penitus ab ea dissimilis, quam nos descripsimus, positioni tamen, & opinioni Lilij quadrans, atq; proportione respondens, constitueretur, ac describeretur; profectò in hoc tantum à nostra dissentiret, ac discreparet, quod in nostra singuli trecentesimi anni duorum dierum aurei numeri progressum poscunt; in hac autẽ à quibuslibet quadringentesimis annis idem progressus exposceretur. in reliquis autem idem ordo, & vsus esset vtriusq;; quemadmodum aliquibus exemplis, post hic inferius descriptam Tabulam allatis, rem ipsam dilucidabimus, ac ostendemus.

Tabula autem, huiusmodi esse potest; videlicet.

Tabula,

Tabula, ad perpetuo dignoſcenda Nouilunia menſiũ, Aurei numeri in Calendario collocati auxilio; pro quibuslibet annis, poſt Calendarij reſtitutioné, ſucceſſuris; ſuppoſita anni Solaris quãtitate, quam recipit Lilius; inſeruitura.

Annorum centuriæ poſt reſtitutionem Calendarij ſucceſſurorum.	*Dies ab Aureo numero vlterius in Calendario tranſigendi.*
100	1
200	2
300	2
. 400	2
500	3
600	4
700	4
. 800	4
900	5
1000	6
1100	6
. 1200	6

Annorum Centuriæ post restitutionem Calendarij successurorum.	*Dies ab Aureo numero in Calendario vlterius transigendi.*
1300	7
1400	8
1500	8
. 1600	8
1700	9
1800	10
1900	10
. 2000	10
2100	11
2200	12
2300	12
. 2400	12
2500	13
2600	14
2700	14
. 2800	14

Annorum centuriæ post restitutionem Calendarij successurorum.	*Dies ab Aureo numero vlterius in Calendario transigendi.*
2900	15
3000	16
3100	16
. 3200	16
3300	17
3400	18
3500	18
. 3600	18
3700	19
3800	20
3900	20
. 4000	20
4100	21
4200	22
4300	22
. 4400	22

Annorum Centuriæ post restitutionem Calendarij successurorum.	*Dies ab Aureo numero in Calendario vlterius transigendi.*
4500	23
4600	24
4700	24
.4800	24
4900	25
5000	26
5100	26
.5200	26
5300	27
5400	28
5500	28
.5600	28
5700	29
5800	30
.5900	30
.6000	30

Hæc

Hæc Tabula, vt videri potest, protenditur vsq; ad 6000 annos; nostra tamen vsq; ad 4500, producebatur. Cuius rei ratio est, quod cum huiusmodi Tabulæ extendi debeãt vsquequò aureus numerus vlterius in calendario progrediens, 30 dierum spatium conficiat, ob causam à nobis superius expositam in declaratione nostræ Tabulæ; iysdem 30 diebus, eundem numerum annorum non contingit respondere in vtraq; tabula; sed in hac 6000 anni, illis respondent, in nostra autem 4500 anni; propterea quod in hac 400 anni, duos in progressu aurei numeri dies inferunt; in nostra vero idem met duorum dierum progressus à 300 solummodo annis inferebatur, ob paulo superius allatam causam. Huius autem Tabulæ vsus non admodum est diuersus ab vsu nostræ. nam hac etiam stante tabula, si nouilunium in aliquo mense alicuius anni reperire voluerimus, prius scire aureũ eius anni numerũ oportebit. dehinc dempto ab anno proposito, anno Domini, in quo reductionẽ calendarij fieri continget, quem coniycimus fore annum 1580; tunc videre opus erit quot annorum cẽturiæ in annis, qui ex subtractione reliqui sunt, continentur; quas in primo huius tabulæ ordine, siue columna inquirentes, numerum dierum, quem in secundo ordine è regione dictorum annorum, positum videbimus, assumemus. atq; horum dierum numerationem, ab aureo numero propositi mensis initium sumentes, faciemus. ac si huiusmodi numeratio intra eundem mensem terminum figet, dies in quo eam terminari cõtinget, nouilunium, quod quærimus, indicabit. Sed si huiusmodi numerationem terminum non habituram intra propositum mẽsem cognouerimus, ac ad sequentem mensem transituram; tunc initium numerandi ab aureo numero mensis, propositum nostrũ mensem præcedentis, sumere opus erit. Siquidem eadem ratione necesse erit, vt ab illo præcedente mense, ad mensem quem volumus, pertranseat numeratio. dies ergo ad quem peruenerit, nouam, quam quærimus lunam indicabit. Exempli gratia, sit nobis propositum inuenire

nouiluniũ mensis Martij in anno Domini 3947. hoc posito casu, posteaquam aureum numerum huius anni inuenerimus esse 15, et ab hoc ipso anno, annos Domini 1580, subtraxerimus; videntes tunc in annis 2367, ex subtractiore reliquis, 23 centurias annorum integras contineri, ipsas in primo huius tabulæ ordine inquirentes, inueniemus è regione illarum in secundo ordine tabulæ numerum 12 dierum collocatum. quorum dierum numerationẽ, ab aureo numero Martij, videlicet 15, incipientes, quia ipsam intra Martij terminos compleri videbimus, nempe in vigesimo septimo die mẽsis; ab eo ipso die, nouiluniũ, quod quærebamus, indicabitur. Verum, si alterius exempli gratia, non ignorare cupiemus nouilunium mensis Martij in anno Domini 5817, inuento aureo numero huius anni, videlicet 4, ac subtractione facta annorum Domini 1580, à præfatis 5817; quia videmus in annis 4237, qui reliqui sunt 42 centurias annorum complecti, ipsas in primo huius tabulæ ordine quærentes, inueniemus è regione ipsarum in secundo ordine positum numerum dierum 22. Videntes autẽ, quod si horum 22 dierum numerationem incipiamus ab aureo numero Martij, videlicet 4, numeratio mensem transgredietur, & ad diem septimum Aprilis terminabitur, cuius mensis nouilunium non inquirimus; propterea nos ab eodem aureo numero Februarij, nempe 4, numerandi initium sumemus, ac numerationem Februariũ transilire, atq; in die octauo Martij perfici inueniemus; ac eũdem ipsum diem, nouilunium, quod quærebamus, ostendere asseuerabimus. Qua via autem, ac ratione procedendum sit, siquis vnquam voluerit nouiluniũ inuenire alicuius anni, non solum semel, sed bis, aut pluries excedentis numerum annorum, in tota hac tabula contentorum, videlicet 6000; poterit vnusquisq; absq; vlla difficultate, ex ijs, quæ superius, explicantes vsum, & ordinem nostræ tabulæ, duosq; ea vtendi modos; explanauimus, exemplisq; illustrauimus, conijcere, atq; considerare, absq; hoc, quod periculum

modo

modo subeam eos tedio afficiendi, quibus forte nimia prolixitas, præsertim non necessaria, molesta esse soleat.

Hactenus vidimus quæ in secũdo capite compendij Aloysij Lilij, ad nouiluniorum inuestigationem, ac cognitionem spectante, discutienda, & consyderanda se nobis; inter tot aßiduas negociorũ occupationes, obtulerunt; vt perpetuo huiusmodi cognitio ex calendario haberi poßit. Superius autem hoc idem fecimus circa primũ caput, ad æquinoctij cognitionem pertinẽs, vt stabilis eius sedes in calendario statueretur: quarum quidem vtrarumq; notitiarũ adminiculo, quam facillime poterit reperiri cuiuslibet anni dies, quo rite sanctum nostrum Pascha celebraturi simus; nequaquam verentes, nè extra Diuini præceti tempus contingat celebratio. Reliquum est, vt priusquam extremam manum huic nostro labori (qualis qualis sit) imponamus, paucis verbis eos animaduersos faciamus, si qui hæc lecturi sint, quod, tametsi aliquo euentu forte fieri contingat, vt restitutioni calendarij alius annus destinetur, quam annus Domini 1580, ad quem nos, rationibus admodum verisimilibus superius adductis moti, vix posse hoc negocium non differri, conijcimus, atq; opinamur; nihilominus non est, cur ob id aliquorum menses perturbentur; verentes, nè ob id, quæ hucusq; diximus, irrita, atq; inutilia existimanda sint. Nam quicumq; annus, ille fuerit, vel præcedens, vel subsequens præfatum annum 1580, in quo præfata restitutio locum habitura sit, quilibet non omnino rudis, quicquid nos in præsenti tractatu discußimus, atq; determinauimus, ac quemcumque modum, ordinem, rationem, tabularum vsum, exemplorum adminicula excogitauimus; nullo negocio, quam facillime, ad positionem etiam illius anni, competenti calculo reducere, atq; aptare poterit. ita vt cuncta hæc, quæ numerauimus, eamdem vim tunc habitura sint, eamdemq; vtilitatem, ac cognitionem allatura, quam in ipsamet positione nostra habere, atq; afferre possunt. quinimmo si restitutionis annus, annum

num nostrum subsequetur, cuncta vt iacent, inseruire poterunt.

Sed forte poterit etiam esse aliquis, qui huiusmodi labori nostro, (qualis qualis sit), obijci ob id posse opinetur, quod, cum eorũ, qui in restitutione calendarij laborant, intentio sit, vt ipsi calendario perpetuitas quædam ad nouas ostendendas lunas, ac ad stabilem æquinoctij sedem efficiendam afferatur, vt tandem legitimo cultu nostrũ pascha celebretur; nos tamen ad hoc, vt calendariũ, quod restituimus, præfatas conditiones cõsequatur, illi in sui adminiculũ regulas quasdã, et cyclos, & tabulas apposuerimus; quibus illũ fulciendũ esse duxerimus; quasi suis met viribus, si extraneis auxilijs destituatur, præfatos effectus efficere nequeat. Ad hæc audacter respondere possumus, quod huiuscemodi regularũ, cyclorũ, tabularũq; auxilia, calendario à nobis tradita, nullo pacto prohibẽt, quò ad hãc rationẽ attinet, quin calendariũ, additis hisce adminiculis, perpetuo vtile, ac ab omni detrimento liberũ existimari possit, ita vt nullo vnquam tempore nouam aliquam restitutionẽ postulaturum sit. Quod autem hoc ita se habeat, ac regularum, cyclorum, & tabularum additiones non sint in causa, vt calendariũ aliquod quodcunq; sit, non perpetuo idoneum, ad munus suum obeundum censeri possit, si regulæ, aliaq; huius generis adminicula satis sint ad præfatam eius idoneitatem perpetuo seruandam; ex hoc primũ patere potest, quod quicunque vnquam, aut constituerunt calendaria, atq; aliquam illis formam tribuerunt; aut in illis restituendis, ac reformandis elaborarunt; omnes, aliquas ad extra regulas, aut cyclos, aut tale aliquid illis apposuerunt. Credidit Iulius Cæsar perpetuam formam suo calendario tribuisse: cui tamen extra addidit pro aureo numero habẽdo cyclum, quo cuiuslibet anni aureus numerus in calendario collocatus, non ignoraretur: & iuxta aliquorum opinionem addidit etiam quemdam alium cyclum, ad diem Solis in calendario inueniẽdum. quamquidem opinionẽ apud fide dignos, locupletesq; authores nõ memini me legisse; neq; illam

approbo.

approbo. nam mensiũ diuisio in hebdomadas, ac hebdomadarũ in 7 dies Planetarum, (hos autẽ Ecclesia ferias nũcupauit, quarũ primã, quasi primariam, atq; diuino cultui supremi domini dicatam, atq; addictã, nec nõ resurrectionem nostri Redemptoris recolentẽ, dominicã appellauit), fuit à Caldæis post Christum natum inuenta, teste Frosempronienfi Episcopo in sua Paulina libro sexto, secundæ partis. Romani ergo tempore Iulij Cæsaris huiuscemodi hebdomadas non agnoscebant, quippe qui menses in Nonas, Idus, & Calendas tãtum diuidebant: atq; ob id solari cyclo, quo nos vtimur, nõ indigebant: quem Græci ipsi post ortum Saluatoris nostri, vt præfatus Episcopus asserit in libro duodecimo secundæ partis, inuenerunt. Addidit etiam cyclum Cæsar ad annos bisextiles reperiendos, Februarium mẽsem ordinantes, vnũ videlicet ipsi diem apponentes. Idem ferè optimi illi in Concilio Nicæno Patres opinati sunt; dum etiam & ipsi, extra ipsorum calendarium, cuius vsum perpetuum crediderunt, cyclum, seu regulam quandam apposuerunt, (seu ipsa Ecclesia post illos), vt eius adminiculo aureus numerus cuiuslibet anni, atq; ob id nouiluniorum etiam cognitio, in calendario, inueniri, ac haberi posset. nec non alium etiam cyclũ ad literas dominicales in calendario reperiẽdas, annosq; bisextiles habendos, quem nos solarem nuncupamus, admittere visi sunt.

Multis dehinc annis post illud concilium elapsis, cum iam clare innotuisset aureum numerũ quibuslibet 300 annis per diem vnũ retrocedere, atq; ob id inutilem in ostensione nouiluniorum, vsum euadere calendarij, ideo, vt melius, quam posset, huic rei occurreretur, fuit in medelã addita calendario regula illa valde nota, qua tot syllabæ assumebantur, quot essent retrocessionis, aut præuentionis aurei numeri dies; ac cum illis, dum singulis diebus, singulæ tribuerentur syllabæ, versus initium mensis ascensus fieret, ita vt dies, cui vltima syllaba contingeret, nouilunium indicaret. Huiusmodi autem syllabæ hac tempestate quinq; sunt, videlicet, in cælis

est hic. Siquidem per 4 integros dies à Nicæna synodo ad hæc tempora, retrocessit aureus numerus in calendario à loco, vbi pro tempore illius synodi, fuit institutus. quamuis. n. quinq; sint præfatæ syllabæ, quia tamen numerando initium sumimus à loco, vbi aureus numerus reperitur, ibiq; ponimus primã syllabã, 4 duntaxat post illum, dies, cum reliquis 4 syllabis, numerari contingit. Hæc tamen regula sufficiens esse nequit. Si. n. contingeret, vt huiusmo di syllabæ in ipsa numeratione, atq; ascensu, ad præcedentem mensem transilirent, nouilunium propositi mensis non indicarent, sed præcedentis. præterquam quod, postquam facta fuerit Calendarij restitutio, cum certo quoq; annorum spatio debeat ab anno, ex bisextili communi facto, dies vnus auferri; aureus numerus ob id nõ retrocedet versus initium mensis, sed versus mensis calcem progredietur, veluti superius declaratũ est. ad id tamen, de quo nunc habetuir sermo, satis esse potest, quod hanc regulam fuisse calendario additam, videre possumus. Occasione huius regulæ illud non ommittam, quod cum Missalium, & Breuiariorum nouorũ Impressores aureum numerum, præfatorum 4 dierum spatio retrorsum traxerint, in hoc quidem videri possunt recte fecisse, quod nouilunia ex aureo numero haberi queunt absq; præfatæ regulæ adminiculo. nihilominus calendariũ ob id inutile ad Canonem paschatis, quo vtitur nunc Ecclesia, reddiderunt: quod aureum numerum à sedibus pro tempore Nicænæ synodi destinatis, absq; aliqua publica authoritate, vel noui Concilij, vel decreti Pontificij, summouerunt. verum quoniam à Summo Pontifice, dum id nõ respuit, neq; prohibet, permitti videtur; propterea recte id factum fuisse existimandum est. ac pro prima luna apta ad inueniendum pascha, (donec calendarium restituatur) ab aureo numero, auxilio earũdem quinq; syllabarum, descendendum erit. Sed vt ad Calendariorum adminicula redeamus, quid amplius? Iidem ipsi, qui hactenus pro reducendo, ac reformando calendario laborarunt, aut modo

laborant,

laborant, cuncti varios & ipsi cyclos, regulas, tabulasq;, atq; his similia, extra calendarium, calendario inseruientia, addunt, atq; apponunt. Nec non ipse met Lilius tabulas, tabellas, cyclos, rotulasq;, extra calendarium pro eius vsu addit, quæ singula proprium vsum postulant, vt eorum adminiculo, calendarij noua forma ita fulciatur, vt perpetuo obire munus suum queat. Nullus ergo mirari debet, si nos etiam aliquẽ cyclum, aut tabulam calendario nostro, in eius auxilium dedimus. hoc tamen parcius, quam cæteri fecimus, operamq; dedimus, vt simpliciora, facilioremq; vsum postulantia, quam alij forte fecerint, proponeremus.

Sed vnum etiam illud in huius Tractatuli calce nõ omittemus, videlicet, quod, tam et si, & cæteri omnes, qui in restituendo calendario insudarunt, & nos etiam ipsi vna cum illis, sæpesæpius asseruerimus, ac modo etiam asseramus, talem ei formã tribuisse, quæ iuxta intentionem, qua ad huiusmodi restitutionẽ mouemur; fixam æquinoctij sedem, fixaq; itidem nouiluniorum indicia, perpetuo seruare queat; nihilominus non me latet huiuscemodi perennitatem, ita exactam non esse existimandam, vt sit semper penitus inuiolabilis permansura, ac in multis millibus annorum detrimentum aliquod non passura. Nam cum nostra huiusce restitutionis ædificia super certas, & solaris, & lunaris anni quãtitates, iuxta medios horum Planetarum motus, extructa sint; ex quibus motibus intulimus, certo quoq; solarium annorum spatio æquinoctium; ac alio itidem certo annorum spatio cyclum decemnoualem, ipsaq; nouiluniorum inditia, per vnum diem in calendario retrocedere; hinc est, quod, cum non penitus exactam, ac exquisitam quãtitatem anni solaris, nec etiam illarum lunationum, accipiamus; idcirco neq; quæ inde inferimus omnino exacta erunt. Quod autem exactas præfatas quantitates non sumamus, ex eo patet, quod in ipsis, dies, horas, horarum minuta, aut ad summum tandem secũda, accipimus, & computamus: tertias autem, & quartas, cæte-

rasq; minutißimas particulas, quarum rationem habuerunt Ptolemæus, Alphonsus, Ioannes Monteregiensis, Blanchinus, cæteriq; Tabularum structores; nos negligimus: cũ tamen ita paruæ, atq; exiles, sensumq; latentes esse nequeant, hæ minutiæ; vt in valde multis millibus annorum, sensibile aliquid afferre non valeant. Quare dum nos non admodũ magnifacientes huiusmodi minutißimas horæ partes, annum solarem, lunaresq; cursus, minores, quã vere sint, facimus, & computamus, necessario sequitur, posse nos tot annorum millia mente complecti, atq; concipere, quot satis esse valeant ad hoc, vt æquinoctium ob neglectas præfatas minutias, vnius diei spatio locum commutet in calendario, alteriusq; diei, si totidem duplicentur anni; & sic de alijs. Quod itidem de indicijs nouiluniorum in calendario (seu aurei numeri sint, hæc indicia, seu quicquid aliud) affirmari poterit, vt manifestum est. Qui igitur præfatam Calendarij restitutionem tractãt, ac nos etiam cũ illis, sufficere arbitrati sumus calendarium ita cõstituere, atq; formare, vt ingenti millium annorum numero, ad id, quod intendimus inseruire poßit; adeoquod perpetuitatis, siue perennitatis nomine, immensus millium annorum numerus intelligatur, ac mente concipiatur. Nec eius opinionis sumus, quod huic malo certa aliqua medela ad perpetuitatem, seu perennitatem calendarij exquisite seruandam, adhiberi poßit: tum quia dictarum, etiam minutißimarum fractionum in Solis, vel Lunæ cursibus contentarum, certa, ac tuta cognitio haberi nequit; tum etiam quia minutias illas, quas vel Ptolemæus ponit, vel Alphonsus, vel quiuis alius, qui in præfatorum annorum quantitatibus, quarta, quinta, sexta, & minutiora etiam fragmenta computant, diligentißimo calculo colligere, & supputare, ita difficile esse reor, vt humanas vires penè superet, ac tot annorum millia complectatur, vt etiam si contigerit, tamen irrita, atq; inutilis sit computatio. Placuit igitur paucis his verbis animaduersos facere Lectores, quomodo intelligenda,

ac accipienda sit perpetuitas, siue perennitas illa, quam in restitutis calendarijs pollicemur.

Quamobrem non temere, nec absq; vlla ratione, me sæpe sæpius asseuerasse, ac modo etiam asseuerare opinor, euitari laborem potuisse à quampluribus, quorum ego etiam vnus sum, in huiuscemodi reductione calendarij susceptum; satisq; admodum fuisse, si ad talem formam redigeretur, quæ ad aliquem non magnum numerũ annorum, verbigratia ad mille, vel ad summum ad duo millia, inseruire posset. Qui autem post hunc annorum numerum successuri, vitamq; acturi sunt, ipsi propriæ eorum vtilitati, ac commoditati prospicere poterunt, si voluerint: quemadmodum & in hac præsenti restitutione, in qua laboramus; quamuis perpetuitatis nomen illi tribuamus; post magnum tamen numerum illum annorum, quẽ respicimus, quantus quantus ille sit, ac post ætatem tandem illorum, quibus vtilis hic erit labor; illi, qui deinceps successuri, mundiq; luce fruituri sunt, ad nouum sibi calendarium restituendum, sese accingere poterunt, sicut & nos hac tempestate facimus. Verum videor videre, non paucorum mentes, quadam perturbatione ideo commoueri, quod, dum tabulas à nobis, tam pro solari cyclo nostro, quam pro ipsis nouilunijs confectas ordinauimus, atq; exposuimus; adeo in longum, sermonem produxerimus, tantaq; verborum copia penè luxuriati fuerimus; vt si hæc in Missalibus, Breuiarijs, cæterisq; diuinarum precum libris, iuxta ac propè Calendaria, pro eorũ vsu apponantur; nõ modicum laborem, ac tædium, difficultatemq; ijs, qui tam Clerici, quam Laici, præfatis libris, eorũq; calendarijs vti velint, paritura, atq; allatura sint. quandoquidem hi pro maiori parte non admodum periti, parumq; in disciplinis, circaq; methodicas scientias versati; sed communis potius ingenij, communisq; peritiæ homines, esse solent.

Huic obiectioni satis quidem occurri poterit, si dixerimus longe diuersum pertractandi, & scribendi modum, ac rationem, res

ipsas exposcere, si docendi gratia, doctrinali methodo pertractādæ sint; quam si solius vsus gratia, ad opus ipsū adduci, atq; applicari debeant. Dum. n. primum illud facimus, earum causas, radices, fundamentaq; , ac (vt verbis tādem logicorum vtar), ipsum met, propter quid, afferri necesse est. è contra vero, dum hoc secundum exequimur, nudum tantummodo, ac breuē operandi modum, atq; solum ipsum, quia, res ipsæ postulant. quemadmodum in Breuiarijs, cæterisq; huiusmodi diuinarum precū libris, euenire videmus; vbi breues quasdam, pro simplici tantum cyclorum, tabularumq; , ad inueniendum nouilunia, festa mobilia, paschales terminos, aureum numerum, epactas, literasq; dominicales, confectarum vsu, declarationes, calendarijs appositas videre possumus: nullas penitus complectentes rerum illarū causas, sed solum, quid agendum, declarantes. Hoc idem igitur in re nostra consyderandum, atq; dicendum est. Nos. n. in hoc Tractatulo formam aliquā restituendo calendario allaturi, nouasq; tabulas ad id conficiendum cōstructuri, earumq; vtilitatem, & vsum ostensuri, nostrum esse cognouimus ita rem deducere, vt eius causæ, ac fundamēta recte percipi, ac perpendi valerent; nè temere, & absq; vlla ratione, in hanc calendarij restituendi formam deuenisse videri potuissemus. Hæc autem non itidem, vt in hoc Tractatulo iacent, in Breuiarijs iuxta calendaria, apponenda sunt: sed solæ ipsæ tabulæ, simplexq; , ac nudus, atq; admodum breuis illis vtendi modus. Earum vero causæ penitus omittendæ sunt. quas, si quis tamen quæret, scireq; cupiet, eas ex pleniori hoc tractatu haurire poterit. Quam paucæ igitur paginæ ad præfatū exequendum munus necessariæ, non admodum amplum locum in Breuiarijs occupabunt; quippe quæ vel binariū, vel ternarium ad summum non excedent numerum. nec alias calendarij restituendi, quas viderim formas, angustiori spatio contineri posse arbitror. quarum aliquæ longe maius, nì fallor, vt etiam ipsi earum authores fatentur; expostulabunt.

Illud

Illud autem, quod superius non semel tetigi, cum maximi momenti sit, iterum hic in calce, extremoq; exitu huius Tractatuli, repetere nõ erit inutile: videlicet non esse poßibile (mea quidem sententia, quam rectiori semper subijcio), tabulam aliquam, seu cyclum, siue regulam calendario apponere, qua simul æquinoctij, & nouiluniorum perpetuæ firmitudini, eorumq; anticipationibus, & æquationibus prospici, ac consuli poßit. duæ. n. diei vnius omißiones, videlicet vna pro firmando, ac stabiliendo æquinoctio, ac altera pro nouiluniorum sedibus etiam firmandis, sese inuicem oppugnantes, nullo pacto vnquam simul tolerare sese poterũt; sed medela vnius, medelæ alterius omnino obuiabit, mutuoq; sese expellent. An autem in vno, & eodem die in toto Orbe terrarũ, rite, ac legitime paschatis celebratio cõtingere poßit, si quæratur, mea quidẽ sententia, quam veriori semper subijci volo, dicẽdum esse arbitror, id nequaquam euenire posse. nam cum ob diuersitatẽ meridianorũ accidere poßit, quibusdam terræ accolis mediam esse noctem, dum alibi alij in meridie, vel in ortu, aut in occasu Solis fuerint; continget ob id quandoq; in vno loco, eũdem diem, exempli gratia, dominicum diem esse, qui apud alios erit dies Sabbati. quare, si decimaquarta luna erit ille dies; tunc apud illos, quibus erit Sabbatum, diem sequentem obtinebit pascha. apud eos vero quibus dominicus dies erit, ad dominicum sequentem diem, celebrationem eius festi, differri necesse erit. Vtriq; igitur horum Incolarum legitimũ celebrabunt pascha: nequaquã tamen in eodem die. Neq; huic diuersitati aliter occurri posse opinor, quam si Summus Pontifex, vel legitima aliqua synodus statuat, apud Christianos omnes in toto orbe terrarũ, primi mensis, seu primæ lunationis dies, ad meridianum alicuius vrbis, verbi gratia Vrbis Romæ supputandos esse.

Hæc pauca sunt (Serenißime Magne Dux), quæ circa Compendium, quod ad me misisti, in medium afferre conatus sum; hac sola ratione ductus, vt mandatis tuis obtemperarem; non autem,

vel quod aliquid magni ponderis me protulisse arbitrer, vel quod inter tot eruditissimorum Virorum opiniones, doctissimis calamis exaratas, iussu Summi Pontificis à Christianis Principibus vndiq; Romam mittendas, atq; ad trutinam exactissimam perpendendas; has lucubratiunculas, hominis non integræ valetudinis, annorum numero penè confecti, atq; assiduis negociorum, nullo pacto omittendorum, occupationibus impediti; locum aliquem obtinere, sperare auserim. Quare, quò magis certi penè sumus obeundi periculi, nè labor noster irritus videri possit; eò certior Serenissima tua celsitudo, nostræ erga ipsam, optimæ voluntatis, & sinceræ seruitutis esse poterit. Quamuis autem Calendarij restitutioni annum Domini 1580 supposuerimus destinandum fore (aliquem. n. certum annum ad id assumere, atq; supponere, nobis commodum, aut potius necessarium erat); nihilominus si forte calendarij restitutio executionem serius sortietur, quam putauimus; dilata nempe ad alium quempiam vlteriorem annum, (ante illum. n. quem supponimus, iam iam imminentem, contingere nequaquam posse manifestum est); quilibet suo met ingenio, quæcunq; in hoc Tractatulo excogitauimus, ad annum illum, quicũq; fuerit, salua hac nostra restitutionis forma, facillime reducere, & coaptare poterit. ac ego ipse, si tunc temporis Deo dante solari ac luce fruar, id, te iubente, vix vnius diei studio, polliceor me facturum. Vale.

Quinto Id. Aprilis 1578.

FINIS.

00564409I